# DE PRIMATU DIUI PETRI APOSTOLI, ET SUMMORUM PONTIFICUM ROMANORUM EIUS...

Tomás Ramón, Giovanni Battista Coccini

# DE PRIMATV DIVI PETRI APOSTOLI, ET SVMMORVM PONTIFICVM

Romanorum eius successorum,
Fasciculus aureus

## *IN TRES LIBROS DIVISVS.*

In quibus ex plurimis locis vtriusque Testamenti, Sacrorum Conciliorum Decretis, & antiquis Patribus, Catholicæq; Ecclesiæ Doctoribus, summa Apostolicæ Romanæque Sedis autoritas & potestas, luculenter demonstratur.

*Autore R. admodum* P. F. THOMA RAMON *Alcagniziaco, Ordinis Prædicatorum, Artium, ac sacræ Theologiæ Doctore.*

Ad Reuerendissimum, sapientissimumque Magistrum, P. F. LVDOVICVM ALIAGA, Potentissimo Monarchæ PHILIPPO III. Hispaniarum Regi, à sacris Confessionibus.




TOLOSÆ,
Ex Typographia Raymundi Colomerij, Regis & Academiæ Tolosanæ Typographi.
CVM PRIVILEGIO. M.DC.XVII.

REVERENDISSIMO PATRI

# SAPIENTISSIMOQVE

## MAGISTRO, F. LVDOVICO

Aliaga, Potentiſſimo Hiſpaniarum Monarchæ Philippo III. Regi Catholico, à ſacris Confeſſionibus.

*LEGIMVS apud Suetonium Tranquillum, nobilem hiſtoricum,* REVERENDISSIME PATER, *veterem illum, nec planè inciuilem Romæ fuiſſe morem, vt cuiuſuis ſortis, & cenſus contribules, Decembri menſe, ſibi inuicem Saturnalibus ferijs inter Xenia & Apophoreta varia cereos imprimis cum ſigillis amicitiæ, gratulationiſq; nomine miſsitarent. Cuius quidem priſci moris, & munerum, quibus hæc ſua ſuperſtitioſæ & fabuloſæ religionis ſacra quotannis peragebant Ethnici, licèt nonnullas in medium proferri poſſe cauſſas exiſtimem, nō adducor tamen vt credam eſſe noſtri inſtituti eas hìc anxiùs diſquirere; quando iampri-*

*dem cum profano illo ritu res ipsa in desuetudinem abijt, frustraneúmq; videri queat vlteriùs in eruendâ è latebroso quodam fragmento Saturnalitiorum horum munerum caussâ solertis ingenij vim & aciem exercere. Quæcumq; tamen olim fuerit profanæ huius celebritatis, & mutuæ liberalitatis in mittendis huiusmodi muneribus caussa, certum est eam non nisi è vulgari aliqua fabella & anili quodam commento originem deriuâsse. Odi profanum Ethnicorum vulgus, & arceo procul ab hoc limine sacri Libri; & omine meliori, licèt hoc ipso Decembri, non iam sigilla illa superstitiosæ antiquitatis figmenta, vel cereos parum durabiles, sed dignum planè R.P.V. & turbulentissimo huic nostro seculo non intempestiuum defero donariū. Librum, inquam, cui Fasciculi aurei nomen indidi, nō tam vanitatis, & ostentationis titulo, quàm puræ, & sinceræ veritatis. In hoc non de cera, vel ellychnio, cereorúmue partibus, neq; de cereis illis, fumosisq; antiquæ Romanorum prosapiæ imaginibus (hæc enim meliùs ad Physiologos & Philologos, quàm ad Theologos spectāt) sed de Primatu D. Petri ac summorum Pontificum ago, & purissimas successorum illius imagines ex prototypo Sanctorum & Orthodoxorum Uniuersalis Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ Patrum accuratiùs repræsento. Hoc ego Opus non penitendo labore à me dedolatum, & hoc quo vides cultu perpolitum duabus potissimum de caussis, cùm in publicum prodiret tui nominis tutelari patrocinio vel in ipso limine, & frontispicio tectum apparere volui. Prima est Religio-*

*nis, altera verò Doctrina: Cùm enim totum hoc sacrum florilegium à me ex optimis quibusq; Orthodoxorum Patrum scriptis, religione & doctrina in vtraque mundi Orientali scilicet & Occidentali plaga præstantium selectum sit; quamuis ipsi per se tantùm autoritatis & dignitatis habeant, vt alieno præsidio indigere non videantur; non dubitaui tamen ijs ad nouum, suisq; seculis inauditum certamen, pro tutanda Romanæ Sedis autoritate descendentibus, patronum asserere & religione & doctrina insignem: sic enim speraui futurũ vt in tutelam faciliùs se darent, cùm non minùs religiosum, quàm doctum & vnanimem in fide Patronũ elegissem. Te igitur potissimum R. P. ex omnibus vnum inter religiosos religiosissimum, inter doctos doctissimũ inter vtrosq; clarissimũ tutorem & protectorẽ dedi congregatis his pro defensione Primatus D. Petri Patribus; nihil veritus, ne beata hæc Sanctorũ Patrũ turba mihi succẽseat, quòd te minoris cõditionis, sortis & dignitatis hominẽ patronum appellârim; cùm & ipsimet Christianam humilitatem profiteantur, & reipsa agnoscant veram solidámq; gloriã non in vanis istis honorum & dignitatum titulis, qui sæpe etiam indignis obueniũt; sed in vna veræ solidæq; religionis professione, & diuinæ sapientiæ studio consistere. Duplicem hanc cõmendationem cùm ego diu in alijs perquisitam in te vno R. P. eminentiori sanè gradu inuenerim, quis mihi vitio vertat, quòd ego tuæ tutelæ sanctos hos Apostolicorum virorum cuneos pro veritate depugnantes commendârim? Nam quod ad*

*religionē primùm attinet siue mores tuos tum in priuata vita, tum in publica conuersatione quis spectet, siue habitum quem præfers sacratissimi in Ecclesia Ordinis consideret, siue institutum tuum, & professionem examinet, nihil reperiet in quo non eluceant veræ & perfectissimæ citra adulationem religionis ornamenta. Neque quisquam est, non eorum modò quos arctius voti solemnis vinculum famulitio Dei adstringit; sed ne quidem eorum, quos aulæ regiæ superba, & fastuosa miratur ostentatio, quem non moueat intaminatæ, & exēplaris vitæ tuæ laudabilis conuersatio. Cùm & ipsi summi Dei sacrifici, quibus ex officio incumbit puritatis & sanctitatis suæ radijs ceteris prælucere, à te inueniant, quod discant; & tuum illum in diurno diuinarum laudum penso diuinæ Majestati persoluendo, Zelum & attentionem; tuámq; in Augustissimo illo inter diuina mysteria tractando diuini amoris, & immensæ charitatis Sacramento, venerationem, pia & laudabili æmulatione prosequātur, magis quàm assequātur. Iam si de doctrina tua sermo, vereor ne multò satius sit de ea silere omnino, quàm pauca dicere, vel eximiam & nunquam intermorituram illius laudem tenui nimium & demisso dicendi charactere deterere. Verùm quando eam mihi alterum commendationis tuæ caput proposui, ne videar muneri meo defuisse, vel, quod aiunt, lucernam sub modio occuluisse, dicam saltem quod nec tota ignorat Hispania; nempe (vt eas quas tu factis & opere ipso virtutes coniunxisti, ego quoque verbis coniungam) te*

*sinè superstitione religiosum, sinè simulationis fuco sincerum, sinè labe emaculatum, & sinè iactantia litteratum & reuera esse, & à doctis probísq; omnibus existimari. Hoc omnes omnino qui priuatæ tecum vitæ consuetudinem inierunt, hoc sacræ Ordinis nostri domus in quibus & alta, & educata duplici pietatis, & eruditionis pastu est R. P. V. hoc ipsum, ne domesticas tantùm probationes exquirere videar, vniuersæ Hispaniarum testantur Academiæ: præcipuè verò Cæsaraugustana; in qua tot annos publici, regijq; in sacra Theologia Professoris onus tanta cum laude sustinuisti, vt inde te Rex ipse noster Philippus III. qui nunc totius Iberiæ habenas felicissimè moderatur suo nutu, suáq; sponte, percrebrescente in dies virtutum tuarum fama ad se acciuerit, & suis sacris Confessionibus audiendis summa cum omnium admiratione præfecerit: quo quidem regio iudicio nescio an iure quisquam maius quoddã & illustrius doctrinæ tuæ argumentũ possit exspectare. Mihi quidem, vt ingenuè dicam quod sentio, regia hæc R.P.V. ad hanc grauissimam prouinciam præ tot, & tantis, támq; illustribus viris, quibus nostra redundat Hispania, electio, eximium, & omni exceptione maius eximiæ tuæ pietatis & singularis eruditionis testimonium præferre videtur; idemq; sanè, vt spero, videbitur omnibus, qui quantùm momenti in debita regni administratione habeat ea, quæ te in aula regia cohonestat dignitas, penitius introspicere non dedignabuntur, cùm ab ipsius regis sacra institutione totius etiam regni pia, rectáq; administratio qua-*

*dantenus pendere videatur. Cæterùm cùm in perquirẽdis secularium suorum negotiorum Præfectis tam oculati soleant esse Christiani Principes, quidni eos multò oculatiores in sacris futuros esse speremus? præsertim tum cùm de vnius Sacerdotis electione, cui totum conscientiæ suæ iudicium cõmittãt, agitur. Sanè quò maior, augustior, & periculosior est sacri huiusce muneris cura, præcipuè apud Principes, quorum exemplum bonũ vel malum longè latéq; manat in subditos, eò acriori, & subtiliori examine in huiusmodi munijs conferendis eos vti, ratio ipsa & rei dignitas postulat; quorum omnium rationem habuisse in euocatione tua Regiam Majestatem nisi qui te non nouerit dubitare hactenus nemini contigit. Neque verò fefellit regium ingenium sua illa genuina in iudicando sagacitas: tanta enim prudentia, tantáq; sapientia diuinum hoc munus huc vsque administrasti; vt non modò regijs votis ex æquo responderis; sed & omnium bonorum exspectationem longè superaueris; adeò vt summa quædam maiorísque momenti negotia, quæ superiores quidem Hispaniarum Reges animis suis pridem conceperãt, neque tamen maximis rerum difficultatibus detenti perfecerant, vnus Philippus III. Rex inclytissimus te suasore ad maiorem Dei gloriam, Christianæ Reipublicæ splendorem, & non leue suorum subditorum solatium confecerit. Cuius quidem regij facinoris laus quamuis tota in Regis ipsius magnanimitate, quâ ceteros retro Principes omnes Hispaniarum deuicit, posita sit, eius tamen*

*laudis particulam quamdam tuus erga Religionem Christianam in huiusmodi negotio promouendo Zelus sibi vendicare posse videtur. Tu igitur R. P. qui tam propenso animo pro insitâ tibi pietate pijs bonorū optatis in religionis caussâ fouisti, tuum præsidium sacris his sanctorum Doctorum maniplis in aciem aduersus Hæreticorum nostri seculi insanam rabiem prodeuntibus, & iam iam in hostes signa, pro asserenda Romanæ Sedi sua dignitate, inferētibus denegabis? Aliud sanè me sperare iubet humanitatis tuæ asylum tutissimum, aliud ingens illud quo flagras amplificandi diuini cultus desiderium. Imò quò maior, sanctior, & fauorabilis caussa, quam tutandam susceperunt (vtpote, quæ non vnius regni limitibus circumscripta definiatur, sed per totum Christianum orbem fusiùs protendatur, & in ipso Capite omnium membrorum salus periclitetur) eò se magis peculiari agnoscunt indigere subsidio, & auxilio. Ideò etiam libenter clara illa pietatis & doctrinæ lumina, quæ totam olim illustrârunt Ecclesiam, etiamnum hodie in eiusdem Ecclesiæ tuitione pij doctiq; patroni gestiunt subire patrocinium. Tuum erit R. P. iustis ipsorum votis acquiescere, eósq; tantum certamen aggressos sub tuam tutelam suscipere: si minùs meâ caussâ, qui meæ tenuitatis conscius satis scio me nihil tale promeritum; saltem & suo, & Romanæ Sedis quam tutantur merito, cuius quidem cùm te semper humillimum & obseruantissimum filium præstiteris, id etiam te sanctissimæ, & dilectissimæ Matris tuæ honori*

*& amori daturum fore confidimus. Vale splendidum Ordinis nostri decus, & nouum Aragonũ regni sydus, eruditorúmq; omnium columen & culmen; & quo cœpisti felici auspicio ministerium tuum imple; intereà dum nos supplicibus votis, & precibus diuinam implorabimus clementiam, vt te quàm diutissimè Regi, regno, bonísque omnibus seruet incolumem. Vale, inquam, & felix in hac aulæ regiæ luce viue. Tolosa, die 7. mensis Decembris, anno à partu Virgineo 1616.*

V[æ]. R[mæ]. P[ti].

Obsequentissimus Filius,

F. THOMAS RAMON.

# CHRISTVS IESVS
## PONTIFEX OMNIVM
## Maximus, & Æternus.

Christus non habet in Pontificatu successores, sed Vicarios & ministros.

CHRISTVS IESVS, Filius Dei vnigenitus, Pontifex omnium, qui fuerunt, sunt, & erunt Maximus, & Aeternus, cui omnis Pontificatus, & Regia potestas innititur, vixit in terris annos 32. menses 3. dies 10 Octauiano Cæsare Augusto, & Tiberio Imperatoribus. Qui in æternum quotidie se offert pro nobis; per se quidem, in cœlo; per suos ministros, in terris, Altaris sacrificio. Quare non habet successores in Pontificatu illos, quia ipse in æternum manet, vt Paulus latissimè disputat, Hebręis scribens, vbi de Pontificatu Christi multa, vt solet, doctissimè, & subtilissimè edisserit. At habet Vicarios, & ministros, inter quos primatum obtinet Petrus, & eius legitimi successores Romani Pontifices, ad innouationem vsque sæculi permansuri. Quod vna est ex Ecclesiæ dotibus, & notis præcipuis, quæ nos in Ecclesiæ debeant gremio continere. Hinc constare potest, nullum Romanum Pontificem dici successorem Christi posse, sed Vicarium. Successor enim tunc datur, quando alius ab officio amouetur, & desinit magistratum gerere, alio subintrante. Christus autem manet Pontifex in æternum. Neque è contrario vllus Romanus Pontifex Petri Vicarius, sed Successor dicendus. Romanus namque Ponrifex, munus Pontificum, non nomine Petri, sed Christi ministrat, licèt Petro succedat: autoritatem namque, qua vtitur, & potestatem, quam habet ligandi, atque soluendi, à Christo vendicat, non à Petro. Petrus namque, vt à vita, ita à Pontificatu excessit. Qui Petro succedit, Vicarius Christi existit, qui viuit Pontifex in æternum. Igitur Romanos Pontifices non successores, sed Vicarios Christi; at Petri, non Vicarios, sed Successores dicemus, si nominum significatione, & rerum nolumus proprietate abuti.

*Ad Hebræos cap. 7. 8. 9. & 13.*

Romanus Pontifex nō dicitur Successor Christi, sed Vicarius. Petri verò Successor dicitur, non Vicarius.

Romanus Pontifex, autoritatē quam habet ligādi & soluendi à Christo vendicat, non à Petro, licèt Petro succedat.

IDEM Dominus noster Iesus Christus, Ecclesia sua denuò instaurata, diuinis Sacramentis, ac sanctis legibus communita, Apostolis suis in Sacerdotes, & Episcopos ordinatis, multis, quæ habuit cum ipsis, colloquijs de

*Math. cap. 28. Marc. cap. 16.*

Luca cap. 24. Ioan. 20. & 21. Actorum c. 1. 1. Corinth. 16. D. Hyeron. de locis Hebraicis to. 3. P. Montanus in Passion. Dñi. Paulinus Nolanus epist. 11. ad Seuerum.

Euangelio, & Baptismo, per totum orbem diuulgādis, copiosè egit. Viuum se viris, fœminis, Discipulis, Apostolis, & plusquàm quingentis simul fratribus prius ostendens. Ac deinde quadragesimo post suam resurrectionem die, feria quinta, Iouis dicta, 14. tunc Maij incidente, præsentibus, & intuentibus vndecim Apostolis, è vertice montis Oliuarum, sex ab Hierosolymis stadijs distante in cælū ascendens, oculis se illorum subtraxit, vestigijs petroso monti pedum impresśis, (vt multi sancti Patres affirmant) in tantæ rei monumentum, quæ adhuc cernuntur. Ex quibus ita dispositis faciem Christi ad Occidentē conuersam, Catholicámq; ex gentibus Romanam spectasse Ecclesiam colligitur, ad quam, ipse, eius caput, tamquam geminos, ac illustres oculos, Petrum suum in terris Vicarium Pastorem, & Apostolorum Principem, & Paulum gentium doctrem, missurus erat. Relinquens Apostolos tunc vndecim, Discipulos septuaginta duos, & plusquàm quingentos fratres, qui breui in immensum ferme numerum ex omnibus gentibus, & nationibus, propagati fuere.

# *COLLATIO PONTIFICATVS in Petrum à Christo promissa & facta.*

CVM Christus Iesus, Dei Filius, Ecclesiam suam constiturus esset, & vicariam potestatem Summi Sacerdotij post mortem in aliquem vnum translaturus, & eos deinde, qui legitima ipsum succesśione sequerentur, Simonem Petrum, Ioannis filium, Bethsaidensem, præ cunctis Apostolis elegit, neque sanguine, neque patria sibi iunctum, vt erant multi Apostolorū, sed virtute, & affectu erga ipsum præstantiori. Hunc cùm primùm Christus fuisset intuitus, ab Andræa, germano fratre adductum, denuò cōcepit, quæ ab æterno de ipso facere disposuerat: &, vt ad supremam dignitatem, & gradum honoris aliquando transferendum, nomine nouo compellat, & Cepham dici deinde vult, vt infra dicemus. Hinc, vt puto, fortasse consuetudo orta est, longo tamen post tempore obseruari cœpta, vt Pontificatum ineuntes natiuum nomen cum veteris alicuius Pontificis Martyris, aut Confessoris permutent, vt simul cum nomine pristinos exuisse mores censeātur. Cum igitur hoc facturus esset Dominus Iesus, post dies octo Resurrectionis eius, quibus Apostoli Hierosolymis manserant, metu, & persecutione Iudæorum exterriti; & in Galilæam, & remotiora quæque alia loca dispersi concesserant, cum illorum septem in mari Tiberiadis piscantibus, fortassis iam quindecim, aut viginti à Christi Resurrectione diebus elapsis, idem ad littus cōparuit, & visendum illis se præbuit.

Ioan. c. 21.

Petrus id opinans, quod erat, è naui in mare se festinus proiecit, pallio se succingens, cùm nudus piscaretur, ducentis per mare cubitis, aut vadando, aut nando superatis. Ingens autem, quem erga Christum gerebat, affectus, fecit, vt nec nuditatem verereretur, nec periculum maris formidaret, dummodo eius, quem diligebat, frui liceret aspectu. Post prandium absolutum, ad quod Christus inuitârat, Petrum singulariter his verbis interrogat: Simon Ioãnis, diligis me plus his? Cui Pĕtrus respondit: Domine, tu scis, quia amo te. Et Christus, vt promissa exsolueret de Pontificatu ipsi tradendo continuò subiungit, Pasce Agnos meos. Tandem ter Christus interrogationem Petro inculcat, excepto, quòd duabus Agnos pascere iubet, tertia Oues committit. Ter igitur examinatur Petrus, quòd tribus modis teneretur oues curare, doctrinæ verbo, vitæ exemplo, atque temporali subsidio. Aut trina illa interrogatio de dilectione Petri, ideò facta, vt trina confessione amoris fidei, trinam diluat negationem, quam admisit. Et in hunc morẽ, baptizandi, ter eòdem numero interrogantur, si abrenuntiẽt Satanæ, & pompis eius; & ter se abrenuntiare respondent. Agnos autem, hoc est Nouitios, & in fide instuendos, non solum ipsi subiecit, sed & Oues prouectos inquam, & quoscumq; Christiani gregis primores. Non enim potest esse Christianus, qui dicit se non esse sub cura Petri Pastoris. Cuius speciatim Pastoricium sui Ouilis Christus commisit; & omnibus deinde eius perpetuo legitimis Successoribus. Petrum namque, tamquam saxum immobile totius operis Christiani, compagem, molémque continentem, Dominus posuit; Petræ, aut Cephæ nomine dignatus, consortium vt mereretur nominis, qui consortium meritus fuerat operis. Filius autem alibi Ionæ, hic Ioannis vocatur. Iona autem columbam significat, sicut Ioãnes, in quo residet gratia, quòd Pontifex columbinam simplicitatem præseferre, & gratijs multis debeat omnino ornari. Cephas à Domino etiam dictus. Hæc igitur fuit Pontificatus à Christo in Petrum collatio, & Pastoricia cura commissa, & via ad Pontificatum perueniendi recta, quam nemo accipere deberet: nisi caritate cæteris antecelleret, vt Petrus, qui norma & regula datus fuit cæterorum.

*Iona Columba vocatur, sicut Ioannes, qui habet gratiã.*

*Pontifex, gratijs multis & virtutibus debet ornari.*

*Petrus, norma & regula omnium Pontificum.*

# VITA ET GESTA D. PETRI Pont. Max. ex D. Hieronymo. D. Chrysostomo, Hegesippo, Lino, & Damaso, desumpta.

*D. Hiero. lib. de vir. illust.*
*D. Chrysost. in Matheũ.*
*Egesippus*
*Linus, & Damas.*
*PP. in lib. Pontificali.*

BEATVS Petrus Apostolus, & Apostolorũ Princeps, Antiochenus, filius Ioannis, prouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ, primò sedit in Cathedra Episcopatus Antiocheni Annis 7. Hinc Beatus Petrus ingressus est in vrbem Romam, Nerone Cæsare: ibíque sedit in Cathedra Episcopatus annis 25. mensibus 2. diebus 3. Fuit autem temporibus Tiberij Cæsaris, & Gaij, & Tiberij Claudij, & Neronis. Hic scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ ac Canonicæ nominantur, & Euangelium Marci, quia Marcus auditor eius fuit, & filius à Baptismo. Hic ordinauit duos Episcopos, LINVM, ET CLETVM, qui præsentialiter omne ministerium Sacerdotale in vrbe Roma populo, ad se peruenienti exhiberent. Beatus autem Petrus, orationi, prædicationi, populum erudiens, vacabat. Hic cum Simone Mago multas habuit disputationes, tam coram Nerone Imperatore, quàm coram populo. Et quos Beatus Petrus ad fidem Christi aggregabat, ille per magias & deceptiones segregabat. Et dum diutiùs altercarentur, Simon diuino nutu interemptus est. Hic Petrus, Beatum CLEMENTEM Episcopum consecrauit, cui & Cathedram, vel Ecclesiam omnem disponendam commisit, dicens: Sicut mihi gubernãdi tradita est à Domino meo IESV CHRISTO potestas, ligandi, soluendíque; ita & ego tibi committo, & ordines dispositores diuersarum causarũ, per quos actus non Ecclesiastici profligetur, & tu minimè curis seculi deditus reperiaris: sed solummodo orationi, & prædicationi ad populum vacare stude. Post hanc dispositionem Martyrio cum Paulo coronatur, post passionem Domini anno 37. Qui sepultus est via Aurelia in Templo Apollinis, iuxta locum vbi crucifixus est, iuxta Palatium Neronianum, in Vaticano, iuxta territorium triumphale. 3. Kal. Iulij.

# ÆVITERNITATI
S.

Pro aureo Opere R. P. F. Thomæ Ramon, Dominicani, Doctoris Theologi, De primatu D. Petri, sumpta occasione ab argumento operis.

## AD EVMDEM R. P.

## *HEXASTICHON.*

STat PETRVS in PETRA CHRISTO & fundamine certo
In PETRA & PETRO non temerata FIDES.
Inque FIDE CHRISTI ROMANA ECCLESIA. quidni?
Et PETRA & PETRO tam bene fulta suo.
Cumque PETRA & PETRO stet firma ECCLESIA, cur non
Cum PETRA & PETRO stet suus iste Liber?

P. C. TOLOSAS.

---

## AD HÆRETICVM.

*Roma caput mundi priscis est dicta Latinis,*
*Quòd foret imperio subdita terra suo:*
*Esse caput mundi meliùs nunc dixeris, illinc*
*Quòd cultum atque fidem cætera terra petat.*
*Hìc sibi Relligio totum diffusa per orbem,*
*Aeternum statuit non peritura caput.*
*Pastores primos hìc Christi Ecclesia sanxit,*
*Atque sui curam iussit habere gregis*
*Impie, falsò hærens iampridem in dogmate, Petrum*
*Christicoli coetus qui caput esse negas,*
*Aurea Raymundi bis terue Volumina solers*
*Euolue & victas mox mihi tende manus.*

I. A. D.

# FACVLTAS TYPIS MANDANDI HVNC Librum, Admodum R.di. P. Prouincialis.

*Tenore præsentium ego F. Hieronymus Baptista de la Nuza sacræ Theologiæ professor, & Prouinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum humilis Prior Prouincialis & seruus, concedo facultatem tibi Reuerendo Patri Fratri Thomæ Ramon, vt possis typis mandare librum* De primatu D. Petri Apostoli, & Romanorũ Pontificũ eius successorum, *quem composuisse te asseris, præmissa tamen iuxta decreta sacri Conclij Tridentini, ordinarij facultate, præcedente itidem approbatione A. R. P. P. Fratris Ioannis Mur Magistri, & Prioris nostri Conuentus Prædicatorum Ilerdæ, & Patris Præsentati Fr. Antonini Croses Lectoris Theologiæ eiusdem Conuentus, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amẽ. In quorum fidem præsentibus manu propria subscripsi, & sigillo quo vtor muniri iussi. Datis in nostro Conuentu S. Catherinæ Martyris Barcinone, die 16. mensis Ianuarij. anni 1616.*

Fr. Hieronymus Baptista de la Nuza. Prior Prouinc.

---

*APPROBATIO ADMODVM R. P. FRATRIS IOANNIS MVR Magistri, & Moderatoris subtilissimi vespertinæ Cathedræ Theologiæ in florentissima Vniuersitate Ilerdem, necnon Prioris dignissimi Conuentus Prædicatorum eiusdem ciuitatis. Et Patris Præsentati Fr. Antonini Croses S. Theologiæ Lectoris.*

Mandato AdmodũR.P. nostri Prouincialis Fratris Hieronymi Baptistæ de la Nuza, sacræ Theologiæ Magistri sapientissimi obtemperantes, opus hoc egregium, ab eruditissimo Doctore P. F. Thoma Ramon, non sine incredibili labore, ac assiduis lucubrationibus compositum, accurata consideratione perlegimus, in quo tantùm abest quidquam esse, Catholicæ fidei Christianæve Religioni dissonum, vt illud pro eximia autoris eruditione, ac pietate, grauissimum Orthodoxum, multiplici doctrina refertum, & ad extirpanda Hereticorum dogmata aptissimum, ac per vtile iudicemus, ac proinde dignum, vt ad communem Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem Typis mandetur. In insigni Prædicatorum Conuentu Ilerden. Die 1. Septemb anno 1616.

Fr. Ioannes Mvr, Magister, et Prior.
Fr. Antoninvs Croses Præsentatvs.

*Nos in Academia Tolosana sacræ paginæ Professores Regij, testamur perlegisse ea qua potuimus diligentia Librum à R. P. F. Thoma Ramon, Doctore Theologo, Ordinis sacri D. Dominici elaboratum, cui titulus est* De primatu D. Petri, ac summorum Pontificum, &c. *in quo nulla licuit deprehendere quæ à vero tramite fidei Christianæ deuient, tantum abest vt in eo aliqua contineantur, documentis Catholicis aduersa; nulla item bonis moribus contraria. Datum Tolosæ 4. Decembris 1616.*

*F. Pvteanvs* Augustinianus. Depelissier.

*PERMISSIO.*

Viso supradictorum Doctorum iudicio, Librum prædictum Typis mandari, ac venale exponi permittimus. Datum Tolosæ die 8. Decembris, anno Domini 1616.

I. RVDELE Vicarius generalis.

# DE PRIMATV DIVI PETRI APOSTOLI, AC SVMMORVM PONTIFIcum Romanorum eius successorum, Fasciculus aureus, tribus distributus Libris.

## *LIBER PRIMVS.*

*Probat Autor in initio huius libri quàm sit conueniens vt vnus in Ecclesia præsit, cui pareant omnes.*

MIRVM equidem nonnullis videri possit quòd cùm Ecclesia perpetuò sibi constet, sítque admirabilis quædam in ea fidei dogmatum consensio, eorum tamen qui semel ab ea desciuerunt, tanta sit inter se distractio & opinionum varietas? Huius rei nullam aliam puto

caussam esse, quàm quòd eis, qui permanent in Ecclesia fas non sit ambulare inflatos sensu carnis suæ, vt suos aliquos intellectus afferant singulares, quos mordicùs posteà tueantur & defendant: sed, cùm sint vnius corporis membra, cuius caput CHRISTVS est, necesse est vt caput suum teneant, atque in illius obsequium intellectum suum captiuent. Porrò, qui caput est Ecclesiæ CHRISTVS, ad Patrem suum cęlestem ex hoc mundo migraturus, atque ita facturus, vt genus humanum corporali sua præsentia destitueret, cùm sub suæ tempus passionis oràsset Patrem, vt eos, quos dederat sibi, seruaret, vt essent vnũ, sicut ipse cum Patre vnum est, quò faciliùs vnitas hæc sempiternis temporibus retineri posset, ascensurus ad Patrem, vni curam Ecclesię suæ mandauit, vni Petro pascendas oues suas commisit, vnum illum principem designauit multis argumẽtis: vt ipse quidem in cælis autor esset vnitatis perpetuæ; Petrus autem, & quisquis ei successisset, eiusdem retinendæ dux & princeps in terris haberetur. Vnitatis itaque constituendæ principium Christus, & retinendæ per eumdem Christum Petrus, & eius successor statuitur. Hoc vniuersa credidit Antiquitas: Hoc sacrosanctum Nicænum Concilium confessum esse legimus: Hoc & ipsa natura liberiori voce pronunciat; Non posse aliter rerum ordinem consistere, nec in Ecclesia pacem vnitatémque retineri, quàm si præsit vnus. Hoc ipsum in apibus, hoc in gruibus, hoc in aliis

*Colossens. 2.*
*2. Corinth. 10.*
*Ioan. 18.*
*Ioan. 21.*

etiam plerisque brutis animantibus videre licet. Habent caput vnum, ducem vnum, quem sequuntur. Sic in arboribus videmus multos ramusculos ad virgam, multas virgas ad ramum, multos ramos ad stipitem, multos stipites ad radicem vnā infigi, vt omnia socia fiant, & succum, qui est in radice, participent: sicut à Paulo dicitur; *Socius radicis & pinguedinis factus es.* Hoc si locum habeat in naturis rerum, multò magis habere necesse est in humana societate, quæ nisi ab vno aliquo gubernetur, diu stare non potest. Propterea dicit Dominus per Prophetam: *Suscitabo eis pastorem vnum.* Et rursus. *Pastor erit vnus omnium eorum.* Et in Euangelio: *Erit vnus pastor & vnum ouile.* Quem vnum & solum bonum pastorem libenter Christum agnoscimus: libenter eum esse caput & fundamentum Ecclesiæ profitemur. Quin & illud non obscurè ferimus, nos credere, solum eum Ecclesiæ suæ regendæ, gubernandæ, & in vnitate conseruandę sufficere. Cęterùm sicut ipse est, qui sacramenta perficit omnia, ipse est qui baptizat, ipse est qui peccata dimittit, ipse est verus sacerdos, qui cùm semetipsum semel obtulerit in ara Crucis, sua virtute corpus suum & sanguinem de eo, quod panis erat & vinum, conficit, vt iterum offeratur non in mortem, sed in mortis recordationem: & tamen quia cum suis fidelibus non erat in corpore permansurus, ministros elegit, quibus in sacramentis administrandis vteretur. Sic ipse caput, ipse gubernator est Ecclesiæ suæ, ipse or-

*Roman.* 11.
*Ezechiel.* 34.
*Ezec.* 8.
*Ioan.* 10.

dinem in ea ſimul & vnitatem conſeruat. Quoniā verò præſentiam ſui corporalem & viſibilem Eccleſiæ ſubducturus erat, vnius vti miniſterio voluit, per quem vnitas hæc retineretur: cui præceteris oues loco ſui paſcendas commiſit, ac à ſeipſo petitum cognomen tribuit. Nam cùm petram eſſe Chriſtum dicat Apoſtolus, cum Petro in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumpto, nomen hoc communicare dignatus eſt. *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quibus verbis cùm vno ore à ſanctis Patribus tam Græcis quàm Latinis Eccleſia ſuper Petrum ædificata dicitur, tantùm abeſt, vt quidquam ea re Chriſti gloriæ detractum exiſtimari queat magis vt etiam illuſtrari videatur. Neque enim quiſquam eſt, qui eat inficias: quin etiam illud vniuerſa prædicat Eccleſia, Chriſtum eſſe illám petram inuiolabilem, eſſe lapidem illum angularem, qui fecit vtraque vnum: eſſe fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere. Sed cùm verum ſit illud, quod à diuo Dionyſio ſcriptum eſt: Bonum eſſe ſui ipſius maximè diffuſiuum & cõmunicatiuum, quid magis facere potuit ad gloriam illuſtrandã, & admirabilem ſui bonitatem toti mundo manifeſtandam, quàm ſi quod ipſi poteſtate proprium eſt, id participatione quadam eſſe ſibi cum homine commune voluiſſe diceretur? Numquid non ſolus ipſe eſt lux inacceſſibilis, *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*? & tamen Apoſtolis dixiſſe legitur: *vos eſtis lux mundi.* Nun-

*Ioan.* 21.
1. *Corinth.* 10.
*Matth.* 16.
*Epheſ.* 2.
1. *Corinth.* 3.
*D. Dionyſius de diuin. nomin. cap.* 4.
*Ioann.* 1.
*Matth.* 5.

quid non ipſe ſolus bonus eſt? Nam, *Nemo bonus niſi ſolus Deus*. Sunt & hæc tamen illius verba: *Bonus homo de theſauro cordis ſui profert bona*. Nunquid non ſolus ipſe peccata remittit? Neque enim hoc cuiuſquam niſi ſolius Dei proprium; eamdem tamẽ ipſam poteſtatem Sacerdotibus quoque conceſſit, dicens; *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Sed quid opus eſt hæc enumerando recenſere? Poteſtne quidquam eſſe auguſtius, quàm & dici, & eſſe Dei filium? Hanc quoque gloriam adeò nõ inuidit mortalium generi ſumma illa bonitas, vt quod ſolus ipſe natura eſt, nos quoque per adoptionis gratiam Dei Patris filios & heredes, fratres autem ſuos & coheredes eſſe vellet. Et non intelligunt ſpiritus iſti phanatici, iuſto Dei iudicio in reprobum ſenſum dati, ſe eſſe potius, qui Chriſti gloriam obſcurent, dum de illius bonitate detrahunt, quæ illi tanta eſt, vt, cùm ſemetipſum tradiderit, cùm ſanguinem ſuum pro nobis fuderit, veriſimile non ſit, eſſe quidquam, quod communicare nobiſcum non ſit paratus: cùm præſertim iſta cauſſa fuerit, quamobrem Dei filius hominis filius fieri dignatus eſt, vt hominum filiis, Dei filios eſſe liceret. Adducens hunc Euangelij locum magnus ille Baſilius de Pœnitentia, etiamſi petra eſt, inquit, non vt Chriſtus petra eſt, ſed vt Petrus petra. Chriſtus enim reuera petra eſt immobilis & inconcuſſa, Petrus verò propter hãc petram. Largitur enim Deus ſuas dignitates, non euacuans ſe, ſed habens dat. Lux eſt, *Vos eſtis*, in-

*Matt. 5. Math. 19. Lucæ 6. Eſaiæ 42. Ioan. 2. Roma. 8. Roma. 1. D. Baſilius. Math. 5.*

quit, *lux mundi*. Sacerdos eſt; Sacerdotes facit.
*Matth. 10.* *Luca 10.* Ouis eſt. *Ecce enim*, inquit, *mitto vos tamquam oues in medio luporum*. Petra eſt, Petram facit, & quæ propria ſunt illius largitur ſeruis. Hoc ſignum eſt aliquem eſſe diuitem, habere & largiri. At noſtri diuites quando largiuntur, imminuunt aliquid ex iis quæ habent; non enim verè ſunt diuites: aliena ſunt, quę poſſidemus: hic verò ſic diues, vt quantumcumque largiatur, nihilominus æquè diues maneat, tamquam fons quidam perennis, quantumcunque ex eo hauſeris fluxus non imminuitur. Cui non diſſimilia ſcribit, qui libenter eũ imitatur, diuinus Ambroſius, & ęqualis eius Paulinus, enumeratis multis nominibus, quę nobiſcum Chriſtus communicauit, inter quæ recenſet etiam hoc ipſum petrę nomen, cuius gratiam Diſcipulo ſuo non negauit: Sed quid miramur, inquit, eum famulis ſuis in dulſiſſe ſua nomina, quibus & patrem ſuum participat, & regnum. *Dedit enim poteſtatem excipientibus ſe filios Dei fieri*. Et, quantùm in ipſo eſt, omnibus dixit hominibus; *Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*. Continet itaque virtute ſua molem Eccleſiæ Chriſtus, ac inuiſibiliter eam gubernat: ſed quemadmodũ in ſacramentis, cùm ipſe ſolus inuiſibiliter operetur omnia, miniſterio tamen vtitur viſibilium Sacerdotum; ſic viſibilem in terris elegit miniſtrum, per quem Eccleſię molem hanc ſuſtineret, per quem gregem ſuũ viſibilẽ inuiſibilis ipſe gubernaret. Eſt igitur petra Chriſtus; eſt petra fides de Chriſto, quam con-

*D. Ambroſius in Luc. 9.* *Paulin. Epiſtola 4. ad Seuerum.* *Ioan. 1.* *Pſal. 81.*

fessus est Petrus: est petra Petrus ipse confitens Christum. Hæc adeò non aduersantur sibi, vt nisi credas Ecclesiam super Petrum cõfitentem Christum ædificatam esse, nihil credas, nec vbi sit Ecclesia scire queas. Nam si petram nolis nisi Christum ipsum intelligere, quod futurum Christus prædixit, dicet Lutherus, ecce hìc est Christus. Dicet Zuinglius, siue Caluinus, ecce hìc est. Anabaptistę contrà apud neutrum esse dicent: sed solum eum sibi solis vindicabunt. Idem Adamitę facient. Idem Iconomachi. Quid ergo aliud, quàm commentitia erit Ecclesia, cuius nec fundamentum, nec ædificium agnosci poterit? Si verò petram interpreteris fidem, quam confessus est Petrus, idem illud eueniet; nam & hanc isti certatim ad se rapient, sibíque singuli certatim vsurpabunt. Quamobrem si talem esse volumus Ecclesiã, quæ videri & agnosci possit, necesse est, vt visibilem esse petram statuamus, super quam illa sit visibilis ædificata, vt petrę nomine, Petrum Petríque successorem confitentem Christum intelligi velimus. Hoc est, quod amęnissimus Hieronymus dicit; Super Petrũ fundatur Ecclesia, licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiunt, vt ex æquo super eos Ecclesię fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. Quod ante illũ scriptum erat etiam à Cypriano. Hoc erant vtique cæteri, inquit, Apostoli, quod fuit Petrus, pari

*D. Hieronym. lib. 1. contr. Iouinian.*

*D. Cyprianus. de simplicitate prælat.*

consortio prędíti honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna mõstretur. Sed & ante hunc Anacletus, qui vixit Apostolorum temporibus, licèt omnes, inquit, pares essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus praeesset Apostolis, & Cephas, idest, caput & principium teneret Apostolorum. Quoniam itaque vna est Ecclesia, super vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata est, per quem fit, vt Episcopatus etiam vnus sit multorum Episcoporum concordi numerositate diffusus. Sicut ad Iubaianum & ad Antonianum scribens testatur Cyprianus. Hieronymus quoque salutem Ecclesię dicit à summi Sacerdotis dignitate pendere; Cui si non exors quaedam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes: neque enim aliunde schismata, & hęreses obortae sunt, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei nõ obtemperatur, dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesię praeest, superba quorundam pręsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur; quemadmodũ ad Florentium Pupianum, & ad Cornelium scribens testatur sanctus ille Martyr Cyprianus. Vnũ itaque toti pręesse Ecclesiae vsque eò necessariũ est, vt absque hoc Ecclesia vna esse non possit. Vnus autem hic Petri Apostoli successor sit oportet, vt hodie Paulus PP. V. est qui regit feliciter Ecclesiam.

*Anacletus PP. Epistola 3.*

*D. Cyprianus. lib. 4. Epistola 2.*

*D. Hieronym. contra Luciferianos.*

*D. Cyprian lib. 4. Epistola 9. & lib. 1. Epistola 3.*

DE

# DE VNIVERSALITATE ECCLESIAE.

## §. I.

SANCTAM Christi Ecclesiam (quam confitemur multitudinem, quæ sancta vnitate vnius signaculi fidei, & vnius spiritus viuificantis, ac vnius pacis & concordiæ lætatur) charissimi Christiani, Catholicam & vniuersalem esse, adeò, vt nec gentem, certum locum, patriám-ve, nec determinatum tẽpus sibi vendicet: quinimò, vt Beatus Petrus inquit, sinè personarum acceptione omnes qui timent Deum, & iustitiam operantur, amplectatur, fide credimus, & sanctorum Patrũ testimoniis & Epistolis edocemur. Quẽ Catholicum & vniuersalem titulum sibi vendicauit, eò quòd generaliter extendens palmites suos in quęlibet loca, & tempora præterita, pręsentia, & futura, secundùm seriem successionis nascentiũ & decedentium continuata, sub vno duce inuisibili Deo, in vnitate religionis semper viguit: atque imbre supernę gratiæ fecundata, velut *Vxor sicut Vitis abundans in lateribus domus suæ, cum filiis sicut nouellis oliuarum in circuitu mensæ eius mater filiorum læta &* Actor. 10. Psal. 126.

*stabilis vsque in seculum permanebit.* Quod non abs re omnibus persuaderi existimo, si fundamentum & radicem eius vnicuique fideliter liceat perscrutari. Fundamentum dico, Christum Iesum, quem

*Ephes. 11.* Apostolus dicit, Apostolorum & Prophetarum: quandoquidem (secundùm Ambrosium) illum

*D. Ambros.* Apostoli prædicauerunt, quem Prophetæ suis temporibus prædixerunt.

Quamobrem Christus Iesus vtriusque Testamenti finis, vtriusque populi fundamentum est, vtrisque populis eodem lapide angulari connexis idem caput, redemptis ex eadem captiuitate idē Saluator, viuificatis per eumdem spiritum eadem vita, atque idem Agnus ab origine mundi occisus: cùm per sanguinē huius mansuetissimi Agni vtriusque liberatio & salus aperta est in cordibus iustorum ab initio mundi credentium, & exspectantium illum. Magna Dei prouidentia asserit

*D. August.* D. Augustinus factum. Iob beatus, non populi Israëlis indigena, neque aduena, sed vel ex Idumæa gente ducens genus, quintus ab Abraham

*Origenes.* (vt inquit Origenes) vel ex Idumæa ortus post

*D. August.* Israël, & ibidem mortuus (vt asserit D. Augu-

*Philo Iudæus.* stinus) vel Esaü, (quem Philo Iudæus dicit acce-

*D. Hieronym.* pisse Dinam filiam Iacob in vxorem) vt Hieronymus) gratiam fidei & charitatis infusam à Deo acciperet; vt ex vno hoc sciremus alias gentes esse potuisse, quę secundū Deū viuentes, pertinerent ad societatē spiritualē Israël, & ad semen Abrahæ

*Galat. 4.* (non carnaliter, sed vt Apostolus inquit, spiritua-

liter intellectum) ad quod pertinent omnes qui aut habent, aut habuerunt fidem Abrahæ in vnū Saluatorem, quos Deus vocare & illuminare dignabatur: non ſolùm coagulando illos Iudæorū populo per circumciſionis ſignaculum, ſed inſerendo illos Eccleſiæ Iudęorum per fidem vbi placuit. Sicut potuit abſque viſibili illo Sacramento vt ad omnes efficaciter Eccleſię latitudo attingeret, fortiter quoad illos, & ſuauiter quoad iſtos, & ſic Catholica & vniuerſalis diceretur & eſſet.

---

## *DE CREMENTO Eccleſiæ.*

### §. II.

ET quamuis à principio eius paruula fuerit, nec habens vbera, ſucceſſu tamen temporis adeò creuit, vt teſte Propheta, *In omnem terram exiuerit ſonus eius, & in fines terræ eius proceſſerint & audita fuerint verba.* Sicut enim corpus humanum ſuas habet temporum ętates, viciſſitudines, ſuáque augmēta, tam ſecundùm membrorum quantitatē, quàm ſecūdùm ſenſuum & diſcretionis incremēta: ſuis inſuper veſcitur cibis, nunc his, nunc illis, nunc lacte, nunc ſolido cibo, ità Eccleſia (quæ vnicum corpus Chriſti myſticum eſt ſecundùm Apoſtolum) ſua habet tempora, ſuas ætates, & ætatum

*Cant. 8.* *Pſalm. 18.* *1. Cor. 12.*

accessus, suáque incrementa, & status. Ante legē enim modica erat, sub lege verò aucta est, sub Euangelio demùm tamquam arena maris (teste
*Psalm.* 138. Propheta) in omnes gentes multiplicata. In cuius initio sua incrementa, suas habuit leges, sua etiã alimenta, modos etiam viuendi illi primitiuæ Ecclesiæ conuenientes; qui nunc forsan non sic obseruari conuenirent: nam, vt D. Ambrosius in-
*D. Ambros.* quit in Commentariis Epistolę ad Ephesios, inter initia Ecclesiæ omnes docebant, omnes baptizabant de clero; quibuscumque diebus, & locis, & temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsiuit aut diem, quo Eunuchum
*Actor.* 8. Reginæ Candacis baptizaret. Adhuc etiam præter septem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Vt ergo cresceret Ecclesia, omnibus de clero inter eius initia concessum est & euangelizare, & baptizare, & sanctas Scripturas in Dei Ecclesia explanare & interpretari. At verò vbi omnia loca circumplexa est Ecclesia, ex tunc constituta sunt conuenticula, & rectores, & officia in ea sunt subordinata: vt nullus de clero, qui ordinatus non esset, auderet præsumere officium, quod sibi sciret non esse creditum vel concessum. Sic inter initia fidei, omnibus qui ex Iudæis credebant viris ac mulieribus, erant omnia communia: & ante
*Actor.* 4. pedes Apostolorum posita diuidebant vnicuique, prout opus erat: cuius ratio esse poterat, quia in illis primitiis gentium, ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymitana, tam erant capaces Spi-

ritus Sācti (vt acutissimus Augustinus ait) vt omnia venderent, corúmque precium indigentibus ante pedes Apostolorum ponerent distribuenda, seséque totos Deo dicarent. Non tamen in abrenuntiatione huiusmodi pares fuerunt Apostolis, qui animo, & affectu, & abdicatione omnimoda omnia reliquerunt. Deinde ex Actibus Apostolorum legimus, plures Christianos iā habuisse proprias possessiones & domos, vt Simon coriarius, apud quem per multos dies morabatur beatus Petrus: sic Thabita discipula plena operibus & eleemosynis: sic Cornelius Centurio: sic tandem Philippus Euangelista. Isti autem iam non ponebant prædia & possessiones, nec precium eorum ante pedes Apostolorū, vt fecerunt primi. Apostoli etiam non imponebant baptizatis vt possessiones venderent, sed tantùm vt peniterent, & baptizarentur, & crederent Euangelio. Paulus autem Timotheo non dixit: Pręcipe diuitibus vēdere omnia: sed, præcipe alta non sapere. Secundùm igitur alium Ecclesiæ statum, alias leges & consuetudines fuisse nemo ambigit. Nam alias leges & ritus Ecclesia vetus olim habuit, alias nunc lex noua. Ecclesia illius legis indigebat Sacramentis significantibus seu promittentibus: nūc verò noua, opus habet Sacramentis, quæ sunt rerum significatarum & exhibitarum testimonia: veruntamen semper vnica & vniuersalis Ecclesia. Sic Christo corporaliter viuente cum Ecclesia sua, nō opus erat generalem Vicarium & Prælatum insti-

*D. Aug. lib. de doctrina christi.*

*Actor. 9. & 10. cap.*

*1. Timot. vlt.*

tuere. At verò, cùm ſecundùm corporalem conuerſationem abſceſſurus eſſet ex hoc mundo ad Patrem, vt ſchiſmatis tolleretur occaſio, expediebat eidem Eccleſię viſibilem toti Eccleſię prefectum habere, vnica tamen ſemper vniuerſalis Eccleſia. Tandem alius erat Romanæ Eccleſiæ ſtatus ſub Petro, quando aſtiterunt reges terræ, & Romanorum Principes, & Imperatores ſęuientes aduersùs Dominū & aduersùs Chriſtum eius. Alius nunc, cùm Reges terræ eruditi ſuſcipiunt, intelligunt, & venerantur Dominum Ieſum Chriſtum, eadem tamen ſemper & vniuerſalis Eccleſia. Satis igitur iuſtè (Chriſtiani chariſſimi) credimus ſanctā matrem Eccleſiam Catholicam & vniuerſalem eſſe. Illam enim, quæ ab initio mundi incępit, & à Chriſto in Apoſtolis fundata cępit creſcere ab Hieruſalem in omnes gentes vſque in hanc diem durans: cuius fides, & cathedra ſeu doctrina, & poteſtas Eccleſiaſtica (id eſt) ius ſeu facultas dimittendi, aut retinendi peccata, ligandi, & ſoluendi, baptizandi, docendi, & interpretandi Scripturas, deriuatur à Chriſto in Apoſtolos (quibus & ſenſus aperuit, vt eaſdem intelligerent) & illas per traducem ſuccedentium ſibi inuicem Eccleſiarum & Epiſcoporum durans vſque ad præſens tempus. Similiter eamdem creuiſſe per tempora, ſecundùm ſuas ſucceſſiones: illam vſque ad conſummationem ſeculi duraturam, ex teſtimonio Chriſti nemo ambigit, Chriſto eius fundamento in æternum manente.

*Pſal. 2.*

*Lucæ 22.*

*Ioan. 12.*

Huius Ecclesiæ crementum, licèt in apparentia, & secundùm superficialem intelligentiam aliquibus appareat minui: cùm cernamus huius nostri temporis Ecclesiam, Romano Pontifici subiectam, non ita dilatatam: imò quasi in mundi angulo, scilicet Europæ coangustatam remanere: tamen non ita superficialiter intelligendũ est. Quoniam ex sacris scripturis, nec ex doctrina Augustini; aut aliorum Patrum deducitur, Ecclesiam Catholicã vsque ad consummationẽ seculi ita crescere, vt credentiũ numerus in hoc seculo peregrinãtium in dies maior fiat; quãuis ex vtroque Testamento constet, Ecclesiam Christi esse tãquam vineam, cui quotidie noui palmites ex gẽtibus, vsque in finem seculi accrescunt, húncque seculi finem non esse futurum, donec salutis Euangeliũ in omnibus gentibus prædicatum sit. Similiter præsentem Ecclesiam esse spiritualẽ Hierusalẽ, & spiritualem Sion: de cuius semine & filiis legitur in scripturis, nunc quod pauci sunt, nunc quod multi. Nec hæc inter se pugnant, nam idem numerus in relatione ad diuersa, paucus est & multus. Pauci quidem intelliguntur fideles, facta quidem cõparatione ad vniuersum genus infidelium per vniuersum orbem degentium, quemadmodum Saluator inquit; *Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant per eam.* Plures autem sunt qui pereunt, quàm qui salui fiunt, quia multi ambulant in perditionis via, quæ ex testimonio Christi lata & spatiosa est. Rursus iidem fideles multi

Matt. 24.

Matth. 28.

ſunt comparatione Iudæorum, *Quia plures filij deſertæ, magis quàm quæ habet virum.* Vbi propheta multitudinem filiorum Eccleſiæ gẽtium futuram prænuntiat eſſe maiorem, quàm tunc erat Synagogæ multitudo. Non igitur latitudinem Eccleſiæ, eiúſque vniuerſalitatem ſic accipiendam putamus, vt totum orbem actualiter ſecundùm aliquam tẽporis menſuram ſit complexura: ſed cùm ipſa ſit ſecundùm ſpiritum; ſic palmites ſuos in omnibus gentibus extendere debere, & in omni loco, in omni regno, ſecundùm aliquam ſui partem ſunt adoraturi ipſum Chriſtum. Quod ſic ad præſens ſe habere, facile eſſet deducere. Et ita omnes authoritates Scripturæ, quæ quamdam vniuerſalitatem dicunt, ſatis congruè videntur exponere Catholici Doctores, vt illam, *Omnes gentes ſeruient tibi*. Et in Geneſi. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Item illud, *Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt nomen tuum.* Et illud. *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum*, & ſimiles. Iſta igitur vniuerſalitas non eſt, vt ſingulæ gentium ſint credituræ, alioquin quomodo ſtabit dictum Saluatoris. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Sed quòd omnes gentes, id eſt, nationes gentium, ſecundùm aliquam ſui partem & credent in Chriſtum, & adorabunt eum, adeò (vt noſtri Scholaſtici dicunt) vt ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non autem pro ſingulis generum. Si autem curioſè quis cupiat omnimodam vniuerſalitatem ibi intelligi,

*Eſai.54.* *Pſal.72.* *Geneſ. 22.* *Pſalm. 72.* *Matt. 24. & Marc.13. Luc. 21.* *Pſal.71.*

accipiat

accipiat de adoratione ſubiectionis, qua omnes homines in die iudicij Chriſto erunt ſubiecti, ſiue voluntarij in iuſtitia & gloria, ſiue coacti in pæna. *Matth. 10.*
Prima autem intelligentia magis propoſito conuenit.

---

## DE STABILITATE *Eccleſiæ.*

### §. III.

HVIVS ſuperbenedictæ Eccleſiæ ſtabilitatem & firmitudinem perpendere poſſumus, ſi cauſam ipſius intrinſecam perſcrutari velimus. Nã etſi ex Scriptura habeamus, omnes Apoſtolos accepiſſe à Chriſto poſt reſurrectionem parem poteſtatem cum Petro, ſcilicet, docendi & teſtificandi ſalutis Euangelium, iuxta illud; *Euntes in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium, &c.* Et remittẽdi peccata; *Marc. vlt.* *Accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis, &c.* ſic ſacrum conferre baptiſma, ibidem, dicens; *Baptizantes eos, &c.* Tamen tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem, vt vnitatem Eccleſiæ (vt inquit doctiſsimus Hieronymus) ſignificaret, ac obuiaret occaſioni ſchiſmatis, præfecit Petrum vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorẽ in triplici illo amoris & charitatis paſtu, videlicet, doctrinæ, exempli, & ſubſidij. Vnde *Ioan. 20.* *Marc. vlt.* *D. Hieronym.* *Ioan. c. 21.*

D. Petrus vniuerſalis Eccleſiæ præficitur Paſtor & caput.

concessa in die sancto Paschæ omnibus ęquali potestate, post dies octo apparens eis, coram Apostolis & Discipulis quibusdam, dedit claues, quas ante passionem promiserat se daturũ. Quam principalitatem super cæteros Matthęus Euangelista, describens Apostolorum numerum, subtiliter tetigit, dicens sic. *Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt. Primus, Simon qui dicitur Petrus, &c.* Hoc autem non potest intelligi de primitate temporis aut vocationis, quoniam Andreas eius frater hãc habuit primitatem, vt patet Ioannis primo. Ergo intelligenda venit de prælationis seu perfectionis primitate, atque potestatis autoritate: Hæc enim, D. Ambrosij sententia comprobantur. Similiter ex collatione præcepti fraternæ correctionis clarè liquet, vbi dicitur, quòd respiciens Iesus in discipulos dixit Simoni Petro. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Per illum enim respectum ad omnes, omnium innuere obligationẽ nulli dubium est, quia illos respicit, quos vult ad præceptum obligare. Veruntamen verborum ad Simonem Petrũ directio, principalitatem capitis tetigit: quandoquidem generalia præcepta fidelium à capite in cætera membra debent deriuari. *Sicut vnguentum, quod à capite descendit in barbam Aaron*, id est, capitis, & deinde in oram vestimenti eius, id est, Ecclesiæ, quæ Christum induit. Hinc interroganti Petro, vt iam præfecto quoad hoc (ibidem.) *Si peccauerit in me frater meus quoties remittam ei? &c.* Responsum est, *Non dico tibi septies, &c.* Quia etsi sit generalis

*Matth. 10.*

*Ioan. 1. c.*

*D. Ambros. in cap. 12. ad Galatas.*

*Matth. 8.*

*Psalm. 131.*

indulgentia omnium membrorum Ecclesiæ, tamen directa fuit in Petrum caput, in quo principaliter residet. Hinc libeat considerare (fratres charissimi) huius Pontificis summi Petri firmitatem in hoc, quòd caput huius Ecclesiæ à Christo constituitur. Quoniam etsi Ecclesiæ stabilimentũ in Christo capite primario resideat, & ab illo sit, tamen miro modo, & nobis inscrutabili, velut in capite secundario Ecclesiæ residet in Petro, & ab ipso habetur: cuius ratio est, quia Christus est Ecclesiæ fundamentum, quod propria sua virtute ædificium & compagem Ecclesiæ membrorum continet, quod ex se Ecclesiam firmam & immobilem facit, & incrementum prȩstat, de quo Apostolus inquit; *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Iesus.* Nihilominus Petrus constitutus Christi vicarius, fundamentũ est, quod ex virtute pascendi à Christo accepta, Ecclesiam Catholicam tenuit immobilem. Hoc Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, & cȩteri Patres nos docuerunt. Nec tam stupidi intellectu censendi sunt, vt Petrum intelligant tale caput, taléque fundamentum, quale Christus, qui sua virtute continens totius ædificij onus: intus operans robur, & incrementum, facit Ecclesiam inter blandimenta, & irritamenta huius seculi esse stabilem & firmam. Ideò sancti Patres exactissimè discutientes sacras literas, ex eisdem considerârunt esse manifestissimum, huiuscemodi officia, quæ sunt potestate propria Christo, participatione

*1. Corint. 3.*

*D. Cyprian.*
*D. Chrysost.*
*D. Hieronym.*

quadam esse communia Petro cęterísque Aposto-
*Psal. 46.* lis, quasi diis quibusdam (teste Propheta) eleuatis in terra, & Petro attributa, quasi Deorum Principi, vt Hieronymi exstat sententia. Nec diuinæ
*D. Hieron.* derogari potestati, nec iniuriam fieri Christo vero fundamento, Ecclesięque vero & soli Pastori, & capiti censemus in hoc, quòd dicatur Ecclesiam suam ædificâsse supra Petrum: dum à se deriuata potestate in Petrum, voluit suam nouam incipere Ecclesiam. Quod mirabile secretum intelligere oportet: quoniam non dixit, super te ædificabo Ecclesiam meam, nec dixit, super petram ædificabo Ecclesiam meam; sed inquit Ecclesiam ædificaturum super petram, inquiens; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Per hoc significare volens alium esse qui ædificat, & aliud super quo ædificatur; & ità se esse fundatorem, Petrum autem fundamentum. Christus ergo ędificauit Ecclesiã super se, & super Petrum. Super se quidem; quia ipse est, cuius virtute & merito Ecclesia iustorum inter tot, & tantas persecutiones manet immobilis. Super Petrum verò, dum ipse ex hoc mundo transiturus, vt schismatis vitaretur occasio (quod ex vnitate vitatur) pręfecit illum vniuersali Ecclesię: constituens illum Generalē suum Vicariũ, per cuius ministerium deriuarentur, seu dispensarentur gratiarum munera inter cęteros Ecclesiæ pastores: & ità in eis vnitas Ecclesię pręfulgeret, & permaneret.

*Petrus Generalis Vicarius Christi.*

Hanc stabilitatem & immobilitatem Ecclesię

in vnitate fundatam (Christiani amantissimi) vsque ad consummationem seculi duraturam, nec aliquo huius peregrinationis tempore defuturā, promisit Christus toti Ecclesię congregatę: dum perhibens sibi datam esse potestatem in cęlo & in terra, ac mittens illos docere omnes gẽtes, inquit; *Vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ seculi.* Et clariùs dicens; *Satanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum; Ego autem rogaui pro te Petre, Vt non deficiat fides tua.* In qua quidem promissione operepreciumerit considerare ex eisdem Scripturis hoc indubitanter & firmiter tenendum: Christum & fidem Petri nunquam ab Ecclesia defuturam, nec ab Episcopatu & cathedra Petri vsque ad cõsummationem seculi deficere. Verùm quantæ firmitatis & stabilitatis, sit illud caput, à quo, in quo, & in cuius sede nunquam Christi fides defutura est, ex subtili & Catholica intelligentia illius orationis & promissionis Christi clarum euadet. Quod Christi verbum Patrem rogantis pro Petro, triplicem potest habere intelligentiam. Primam quidem, vt nunquam deficiat fides Christi nec à persona, nec à corde Pontificis, qui vicaria ordinatione succedit; quod videtur esse extra intentionem Christi. Neque enim videtur Saluator huiuscemodi verbis voluisse Petro, omnibúsque eius successoribus promittere in perseuerantia fideiità esse prædestinatos, siquidẽ & Petrus post illa verba ad tempus defecit à fide, sicut & Apostoli cæteri, quem defectum eis Christus post resurrectio-

*Math.* 28.

*Luca* 22.

Marc. vlt. nē exprobrauit, atque illorum incredulitatem & cordis duritiam, *Quia iis qui viderant eum à mortuis ſurrexiſſe, non crediderunt.* Imò illis & teſtimonia Angelorum ac ſanctarum mulierum tanquam deliramenta viſa fuerunt. Et, quòd poſt acceptum Spiritum ſanctum non defecit à fide, hoc non erat priuilegium ſpeciale Petro, ſed commune omnibus Apoſtolis, pro quibus & Chriſtus rogauit, dicēs,
Ioan. 17. *Pater ſancte, ſerua eos quos dediſti mihi*, &, *Nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Nec hoc oportet credere de aliis Petri ſucceſſoribus, qui neque ità ſunt in fide confirmati, vt Petrus, neque tales habuerunt à Chriſto promiſſiones. Alteram autem intelligentiam habere aſſerimus, quòd fides nunquam à generali Cathedra & ſede, ab vniuerſali Eccleſia, ſeu ouibus ipſius Petri vſque ad conſummationem ſeculi deficiet. Et hanc fide tenendam clarum eſt, propter Saluatoris verbum ſupra allegatum, ſcilicet; *Vobiſcum ſum*, &c. Et illud; *Super hanc*
Matth. 16. *petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam.* Portas autem inferi vocat hæreſes, perfidiam, atque infidelitatem, vt communis Patrum exſtat expoſitio.

Ad has inſuper intelligentias additur tertia, cui etiam ſanctorum Patrum expoſitiones & dicta conſentiunt, videlicet: vt non deficiat fides vnquam à propria ſede & diœceſi, quam Petrus peculiariter paſcendam, dirigendam, & gubernandam ſuſcepit, vtique Romanam, quæ certis limitibus ab aliis diſtincta eſt. Hunc autem intellectū

esse, probatissimi Patres sacrę Scripturæ interpretes, vt Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Bernardus, & alij ex verbis ipsius Christi elicuerũt. Bernardus contra errores Petri Abailardi, sic dicit: Oportet (inquit) ad vestrum Apostolatum referri pericula quęquæ & scandala in regno Dei: ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum nãque arbitror ibi potissimum resarcire damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi aliquando dictum est; *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?* Hæc D. Bernardus ibi, vbi de fide Petri in sede eius vt distincta ab aliis exponit. Diuus autem Cyprianus ità effatur. Petri cathedram esse principalem vnde vnitas sacerdotalis est exorta, illámque esse Ecclesiam Romanorum, quorum fides Apostolico ore laudatur, ad quos non possit perfidia habere accessum. Hæc ille. Clarum dicit perfidiam non posse habere accessum ad cathedram Petri, nec ad Ecclesiam Romanorum, quorum fides est apostolico ore laudata. Diuinissimus Hieronymus sic ait; Romana fides Apostolico ore laudata, non recipit contra fidem vllas præstigias, etiamsi aliter Angelus nuntiet, quàm semel prædicatum est. *Idem.* Romana Ecclesia nullam hæresim fouit vnquam. *Idem.* Romana Ecclesia semper immaculata permansit, & Domino disponente, & beato Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit. Idem habetur ex ingeniosissimo Augustino, & ex antiquissimo Irenæo. Fidem ergo (Christiani charissimi) & Ca-

*D. Bernard. in Epistola ad PP. Innocentium.*

*D. Cyprian. Epistola ad Cornel. PP.*

*D. Hieron. aduer. Rufin.*

*D. August. in Epistola ad Generosum.*

*Irenæus lib. 3. aduers. Valentin.*

thedrã Petri eiúſque ſedẽ, claues regni cælorum, poteſtatem ligandi & ſoluendi, à diœceſi Romana inſeparabiles eſſe (garriant hæretici moderni) nõ temerè, ſed pia fide cum Patribus noſtris prædeceſſoribus credimus. Et quod Deo prouidente, & beato Petro opem ferente, Romanus Epiſcopatus totus nunquam à fide deficiet: quem ipſe beatus Petrus ſuo ſanguine & martyrio conſecrauit, cum coadiutore & coapoſtolo Paulo beatiſſimo. Potiſſimum cùm viderimus ab initio ad hęc vſque tempora in tot & tantis tyrãnorum perſecutionibus eamdem Romanam diœceſim nec à tramite Apoſtolicę traditionis vnquam erràſſe docendo, nec hæreticis nouitatibus ſuccubuiſſe credendo: ſed antiquam fidei regulam ſecundùm Apoſtolorum traditionẽ ſemper firmiter tenuiſſe. Nec turbari debet quis (vt ſeparetur à Cathedra alicuius Pontificis) ſi quem videat forſitan malè viuere, & auarum, aut ambitioſum, ac ſuperbum eſſe. Siquidem tales videbãt ſuis ſeculis Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, neque tamen idcirco ſeparabant ſe ab vnius aut ab alterius Cathedra. Bernardus namque ſuo ſeculo videbat Romanum clerum magna ex parte vanum, ambitioſum, moribúſque corruptum, ſed non ideò prætermiſit docere veritatem contra ſui ſeculi hęreticos, qui contemnebant Catholicam ſedem, ſeu paſtoralem dignitatem in Vicario Chriſti & ſucceſſore Petri. Nam aliud eſt contemnere paſtoralem dignitatem, & poteſtatem; aliud corruptam vitam

hominis

hominis ſedentis in Cathedra. In illa enim, nō vita, ſed Spiritus ſancti dona & miniſteria (per quæ Chriſtus operatur etiam in malis Epiſcopis) ſunt honoranda. Quoniam ſi Pontificis perſonam quis curioſè conſiderare velit, quid inueniet, niſi illum ſimilem nobis, Adæ filium, multis repletum miſeriis, tentationibus, & carnis tribulationibus, & huiuſmodi ſubiectum eſſe? Imò vnum de numero illorum, quales Apoſtolus deſcribit, *Circumdatos infirmitate*? Nihilominùs, *Tamquam ſeniorem non increpare Epiſcopum, ſed vt patrem rogare & venerari oportere* hortatur: illiúſque pudenda (ſi quæ viderimus) abſcondere, timentes nobiſmetipſis maledictionem æternam cum filiis Cham, qui verenda patris ſui Noë ſuis fratribus nudata indicauit. *Hebr. cor. 5.* *1. Timoth. 5.* *Geneſ. 9.*

Ortum eſt (fratres dilectiſſimi) noſtro infeliciſſimo tempore impudentiſſimum hominum genus, qui non modò huius ſeculi Patres & Pontifices, ſed & totam venerandam Sanctorum Patrū antiquitatem defedare, & lacerare conantur; qui (iuxta Comici ſententiam) niſi quod ipſi dicunt, nihil rectum putant, & ſecundùm diui Iudæ dictum, *Quæcumque ignorant blaſphemant*. Qui etiam ſilentio prætereuntes eorumdem Patrum laudabilis vitæ ſanctimoniā ob oculos adoleſcentum ponunt totius præteritæ ætatis errata, etiam mendaciis quibuſdam & figmentis ampliata non ad cautelam poſterorum, ſed in contemptum prædeceſſorum, in quibus tamquam in nitidiſſimis quibuſdam ſpeculis ſanctimonię, rectéque viuendi nor- *Comicus.* *Iudæ c. 1.*

mas, totam posteritatem spectare decuit. Hinc necessum fuit, vt sancta eadem Romana Ecclesia pro huiusmodi Cathedræ tanta autoritate suffultę cõseruatione & stabilitate, per orbis terrarum diœceses prouideret Episcopos, vita probatos, & autoritate præditos; qui contra huiusmodi Ecclesiæ & Cathedræ, ac sanctorum Patrum doctrinę & sanctimonię inimicos & obtrectatores, nec non Pontificalis dignitatis (vt tẽpore Clementis VIII. nonulli satis impiè fecerunt) detractores, eiusdem Sedis autoritate, & inquirerent inueniendos, & inuentos pœnis demeritis iustè afficerent; vel ad viam veritatis & charitatis cum humilitate redire ad Deum compellerent. Hæc dicta sufficiant de Vniuersalitate, de Cremento, Stabilitatéque Ecclesię sanctę, déque eius Principe Sanctissimo Beato Petro Apostolo.

# AVTOR AD LECTOREM.

*SVfficerent quidẽ modò dicta apud eos Christianos, qui parent & simpliciter credunt quicquid tradit ac tenet sancta mater Ecclesia. Cùm autem nostra ætate Sedis Apostolicæ autoritas à plurimis Belial & inobedientiæ filiis, non solùm reuocetur in dubium, sed etiam suis opinionibus, libellisque editis impugnetur, pluribus profectò*

*& Scripturarum testimoniis, & sanctorum Patrum astipulationibus debet primatus D. Petri & successorum eius, affirmari. Et quamuis multi doctissimi grauissimique Patres hoc præstiterint: copiosissimè enim simul & solidissimè ostenderunt ex sacris litteris, ex antiquis Conciliis, ex Apostolicis Decretis, ex antiquissimis Patribus, ex probatissimis Ecclesiæ Doctoribus, ex legibus denique publicis, & approbatis historiis rem hanc, & ita clarè deduxerunt, vt de ea nemo amplius dubitare queat, nisi qui per hæresim & rebellionem penitus est subuersus, ac iudicio proprio (vt testatur Apostolus) condemnatus.* *Ad Titum c. 3.* *Nihilominus tamen cùm istorum Libri, de hac re agentes, non passim omnibus sint ad manum, operepreciũm duxi hunc colligere Fasciculum (tanto labore ac studio à me elaboratum) & aliquot testimoniis ex sacra Scriptura, sacrísque Conciliis, nec non ex fidei orthodoxæ sanctis Doctoribus excerptis, propositum confirmare: ne Lector dubio aut suspenso animo, tot ac tam præclara ac pia veterum Romanorum Pontificum decreta, sanctórũque Patrum dicta, legat: cui profectò omnem dubitationis scrupulum, si non obsistat rebellionis, aut odij affectus, sequentes poterunt autoritates eximere.*

# *EX DEVTERONOMIO, Capite 17.*

SI difficile [a] & ambiguum apud te iudiciũ esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: [b] veniésque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerísque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistrã. Qui autem superbierit, nolens obedire [c] Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctúsque populus timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.

Nota quomodo sit obediẽdũ superioribus, præcipuè Romano Põtifici, quomodóque timendum illi non obedire.

Nic. Lyran.

a GLos. Ord. Lyrani. Sacerdotes Ecclesiæ Dei instruit vt iudicia Ecclesiastica secũdùm potestatem sibi à Deo datam reuerenter agant, & iustè discernant, non ad libitum suum sed iuxta legem Domini.

Interlinealis.

b Ostendit item, quòd Christiani debent in dubiis ad Põtifices recurrere quantùm ad spiritualia: & ad principes quantùm ad corporalia: & eorum firmiter tenere sententiã, nisi errorem contineat manifestum. *Ità Interlinealis.*

c Christi, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinē Melchisedech: qui Vicarios sibi constituit, quibus ait; *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit,* Lucæ c. 10. *Lucæ 10.*

Ex hoc loco Deuter. inoleuit consuetudo appellandi ad Summum Pontificem. Vnde & Paulus appellauit Cæsarē Actor. c. 25. hoc etiam patet in Exodo c. 18. Iosephus addit, quòd septem iudices eligebantur in singulis ciuitatibus, virtute & iustitiæ studio excepti, cuilibétque dabātur duo ministri de genere Leuitarum. *Iosephus.*

## *Distinct. XXII. Cap.* Sacrosancta, *& Distinct. XXI. Cap.* In nouo.

ANACLETVS seruus seruorū Dei, omnibus Episcopis, & reliquis Christi Sacerdotibus salutem: Sacrosancta Romana Ecclesia & Apostolica, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit, sicut ipse Petro beato Apostolo dixit, *Tu es Petrus, & super hāc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo hęc Apostolica Ecclesia, cardo & caput omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio est constituta; & sicut cardine ostiū regitur, sic huius sanctę Sedis autoritate omnes Ecclesię, Dño disponente, reguntur. *Matth. 16.* *Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum.*

## *Distinct. XII. Cap.* Non decet.

CALIXTVS Archiepiscopus Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ, omnibus Episcopis salutē. Non decet à capite membra dissidere, sed iuxta sa-

crę Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare.

*Romana Ecclesia, mater omnium Ecclesiarum.*

Mēbra nō debent à capite desfidere, sed ipsum sequi.

## *IX. Quæst.* 3. *Cap.* Cuncta per mundum.

GELASIVS Episcopus omnibus Episcopis; Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia de omni Ecclesia fas habeat iudicandi; neque cuiquā de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus. Sed nec illa prętcrimus, quòd Apostolica Sedes sinè vlla Synodo præcedente exsoluendi, quos Synodus iniqua damnauerat; & damnādi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habeat facultatem: & hęc nimirū pro suo principatu, quē B. Petrus Apostolus Domini voce & tenuit semper, & retinebit.

Romana Ecclesia fas habet iudicandi de omni Ecclesia, & ad illā appellādum est.

*Petrus principatum tenuit, & retinebūt eius successores.*

## *XVII. Quæst.* 4. *Cap.* Nemini.

NICOLAVS Papa omnibus Episcopis: Nemini licitū est de Sedis Apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Romanę Ecclesię primatum, Christi munere in Beato Petro Apostolo diuinitus collatum.

## *IX. Quæst. 3. Capit.* Aliorum.

SYmmachus Papa vniuersis Episcopis, Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sacro verò sanctæ Sedis Romanæ Præsulem suo sinè quæstione reseruauit arbitrio: voluit Beati Petri successores cęlo tantũ debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam.

## *IX. Quæst. 3. Cap.* Qui se nescit.

VIgilius Papa dilectissimo fratri Euthero coepiscopo: Nulli vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti dubiũ est, quòd Ecclesia Romana fundamẽtum & forma sit Ecclesiarum, à qua omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat: quoniam licèt omnium Apostolorum par esset electio, Beato Petro tamen concessum est, vt cęteris præemineret, vnde & Cephas vocatur: quia caput & primus est omnium Apostolorum: & quod in capite pręcessit, in membris sequi necessum est. Quamobrem sancta Romana Ecclesia, eius merito Domini voce consecrata, primatũ tenet omnium Ecclesiarum: ad quam tam sancta Episcoporũ negotia atque querelę; atque iudicia, quàm & maiores Ecclesiarũ quęstiones, quasi ad caput semper referendæ sunt.

Ramana Ecclesia fundamẽtum est & forma aliarum Ecclesiarum.

Petrus caput & primus Apostolorum.

Romana Ecclesia primatum tenet super alias omnes.

## *II. Quæst. 6. Cap.* Ad Romanam.

ZEPHERINVS Romanæ Vrbis Archiepiscopus, omnibus Episcopis salutem: Ad Romanam Ecclesiã ab omnibus, maximè tamẽ ab oppressis, appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem: vt eius vberibus nutriantur, autoritate defendantur, & à suis oppressionibus releuentur: *Quia non potest, nec debet obliuisci mater filium suum.* Iudicia enim Episcoporũ, maioresque Ecclesię causę, à Sede Apostolica, & non ab alia, sunt terminandæ: quia licèt in alios transferatur potestas, tamen Beato Petro Apostolo dictum est; *Quæcumque ligaueris, erunt ligata; & quæcumque solueris, soluta erunt.*

Romana Ecclesia omnium mater.

*Esaiæ 49.*

*Matth. 16.*

*His itaque (& sequentibus) authoritatibus, & id genus aliis rationibus constat, Romanam Ecclesiam semper habuisse primatum inter omnes totius orbis Ecclesias, à temporibus Apostolorum in hanc vsque horam; liquidóque claret insuper, quòd Petrum, eiúsque successorem, principem Christus & caput totius orbis in perpetuum constituit. Quòd si sanctis istis Pontificibus, velut in propria causa, minùs credendum esse dixerint minùs Christiani & aduersarij, credant saltem Scripturæ sacræ testimoniis, Conciliorúmque decretis, atque Sanctorum Doctorum dictis, quibus plena & indubitata fides adhibenda est, quorum quæ sequuntur sunt dicta.*

Autor Lectori.

*Romana Ecclesia semper primatum tenuit.*

# LOCI EX SACRA SCRIPTVRA COLLECTI, DIVI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS, ac Pontificum Romanorum eius successorum indicantes primatum.

## GENESIS XXV.

DVæ [a] gentes sunt in vtero tuo; & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori, &c.

a HAec omnia fratres charissimi (inquit D. Augustinus Sermone 78. de tempore) in figura contingebant illis. Scripta sunt autem propter nos. Isaac typum habuit Domini Saluatoris, beata autem Rebecca Ecclesiam figurauit. D. Prosper par. 1. c. 20. de promissionibus & prædictionibus, hunc exponens locũ, *Duo populi*, &c. Ita ait. Nec vacuum esse potuit tanti mysterij Sacramentum. Populum enim Christianum signabant, primatus quos habuit ille, vẽdidit, iste suscepit. Iudeus quod nascendo habuit, per concupiscentiam perdidit, Christianus per gratiam, quod in natura non habuit, acquisiuit, D. Ambrosius lib. 1. de Abel & Cain c. 2. Sic loquitur hac in parte, *Duæ gentes in vtero* &c. Ego tamen hoc loco mysterium magis duorum populorum intelligo, hæc figura Synagogæ & Ecclesiæ in his duobus fratribus antè præcessit. Nónne apertum est mysterium (ait ipsemet super psal. 118.) duos significari populos, Iudæorum

[Margin: D. Augu. — D. Prosp. — D. Ambr.]

[Margin: Isaac symbolũ fuit Domini Saluatoris, Rebecca autem Ecclesiam figurauit.]

[Margin: Duo populi, figura fuere populi Christiani, & Iudaici.]

scilicet seniorem, & Christianum iuniorem? Multò adhuc
*D. Isidor.* clariùs loquitur D. Isidorus. Hoc figuraliter (ait) factum etiā Iudæis non credentibus notum est, qualiter populus Ecclesię populum Synagogæ superauit, & plebs Iudęorum tempore
*Rabbi Samuel.* maior, seruiuit minori populo Christianorum. De Synagoga & Ecclesia (inquit Rabbi Samuel in lib. de Aduentu Messiæ.
*Ps. 44.* c. 22.) intelliguntur hæc. *Duæ gentes*, &c. De qua Ecclesia dixit Deus per os Dauid. Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, distinctis coloribus adornata.* Plura etiam apud
*Lipoman. in Genes.* eumdem. c. 23. Verba hæc (inquit Lipomanus) secundùm litteram, in istis non sunt impleta, sed in eorum posteris, maximè verò in Christo, eiúsque Ecclesia, cui omnis populus, tribus, & linguæ iam seruierunt. Eadem ferè verba profert Iu-
*Iulianus Pomerius.* lianus Pomerius Archiepiscopus Toletanus. lib. 1. contra Iu-
*Genes. 49.* dæos. Insuper exponens illud Genes. 49. *Iuda te laudabunt fratres tui*, subdit; Hæc omnia dijudicate & aduertite si non in Christo iam euidentissima luce completa sunt. Consimilia
*Nicol. Lyr.* sunt quæ docet Nicolaus de Lyra exponens hunc locum quē nos exponimus. Videatur Rupertus Abbas comment. in Genes. lib. 7. c. 17.

---

## GENESIS XXVII.

DEt tibi Deus [a] de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei [b], & seruiant tibi populi; & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

*Vigilius.* DOctissimus [a] Vigilius contra Euthicen li. 3. sic ait. Scire debes, quòd in pinguedine terræ, & in rore cœli, id est, in Christo futura sit benedictió tua. Iacob etiam benedicens *Christus, ros cęli, & pinguedo terræ est.*

Ioseph filium suum, ab huius Sacramenti mysterio non recessit, & cætera quę sequuntur: D Hilarius item, & cum eo D. Prosper, exponentes illud Psalmi 132. *Sicut ros Hermon.* &c. *vsque benedictionem*, &c. de Ecclesia Christi, superquam ros gratiæ eius descendit, & omnium gratiarum, Sacramentorumque, déque Apostolis eius, interpretantur. Benedictiones enim Ecclesia sola largitur. Videatur D. Ambrosius lib. 5. Epistola 20.

*D. Hilar. D. Prosper. in Ps 132.*

Ros gratiarum & Sacramẽtorum, à Christo super Ecclesiã descendit.

b *Seruiant tibi*, &c. Alia littera. Seruiant tibi gentes, & adorent te principes. Chaldaica sic. Et subijciantur tibi Regna. Potentiam igitur ac superioritatem promittit, non tam temporalis Dominij, quàm honoris diuini super omnes gentes pręrogatiuam. Ita Lipomanus. Benedictio ista Iacob, prædicatio Christi est, (inquit Iulianus Pomerius) in omnibus gẽtibus hoc fit, hoc agitur. Ei enim seruiunt gẽtes, ipsum adorant Reges: ipsum quippe adorant filij patris eius, hoc est, filij Abraham secundùm fidem; Ecce benedictus Iacob benedictione hac mystica Patris sui.

*Litera Ch.*

*Lipoman. Iulian. Pomer.*

---

# GENESIS XXVII.

RESpondit Isaac [a], Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui. Frumento, & vino, & oleo stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi vltra quid faciam? Cui Esau; Num vnã inquit tãtùm benedictionem habes pater? Mihi quoque obsecro vt benedicas. Cúmque eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum. In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua: viues in gladio, & fratri tuo seruies, tempúsque veniet cùm excutias & sol-

uas [b] iugum eius de ceruicibus tuis.

a DOminum tuum, &c. Eadem dictio est cum illa: *Esto Dominus fratrum tuorum*, quæ superioritatem & primatū significat, non tantùm esse Dominum. Cætera clara sunt. Verumtamen quando legis benedictionem Iacob in filios; & Dauidis in Salomonem, Christique iam cælos ascendentis in Discipulos, hîc omissa esse intellige. Ita Frater Antonius Fōseca apud Caietanum.

*Anton. Fonseca.*

b *Excutias & soluas*, &c. Hoc in aduentu Domini adimpletū vidimus, de quo Isaias c. 10. *Auferetur iugum decollo eius, & computrescet iugum à facie olei*: à facie Christi ait Incognitus, & itâ legit Targum. Et in Ecclesia quotidie fit (vt fecerunt Apostoli, quibus dictum fuit, *serpentes tollent*. Marc. vltim. *Dæmonia eiicient.*) liberando à iugo peccati.

*Isai. c. 10. Incogni. Targum.*

In aduētu Christi, deletum est iugū peccati è collo hōminum.

---

# MATTHAEI IV.

AMbulans autem Iesus iuxta mare Galilęæ vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare; erant enim piscatores, & ait illis [a]; Venite post me, & faciam vos fieri piscatores [b] hominum. At illi continuò relictis retibus sequuti sunt eum.

a VOcationem istam, locus ille Isaiæ c. 9. manifestè declarat. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthalim*, &c. *Galileæ gentium.* Olim regio illa vilis erat, at nouissimis temporibus illustrata fuit, præsentia, doctrina, & miraculis Christi, præsertim via maris, id est, qua versus mare Galilęæ itur; fuit autem ex ea bona pars Discipulorum: De quibus Dauid. *Principes Zabulon, principes Nephthalim*, &c. D. Ambrosius. Sermone 11. de mirabilibus,

*Isai. c. 9.*

Galilea antiquitus vilis erat, post aduētum verò Christi Illustris facta est.

*D. Ambr.*

sic ait: Hic vocat ad Ecclesiam Petrum, quem secundùm Mattheum simplici vocauit sermone, dicens. *Venite & faciā vos piscatores hominū.* Piscaturus piscatores Christus, (ait Glossa) decenter per piscatoria vadit loca. *Glossa. Lyran.*

b Origenes in Caput 17. Matthæi, loquens de pisce capto à D. Petro, sic ait; Ipsum piscem arbitror adiuratum ascendisse ad hamum Petri, & comprehensum ab eo, qui hominū piscator fuerat factus. *Origenes.*

## MATTHAEI X.

Et conuocatis duodecim Discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immūdorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc, Primus [a] Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, &c.

a Primus Simon, &c. Ordinem quidem Apostolorum, & meritum vniuscuiusque illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur Simon, cognomine Petrus, ad distinctionem alterius Simonis qui appellatur Cananæus de vico Galileæ Cana, vbi Dominus aquas conuertit in vinum. D. Augustinus, Sermone 2. Apostolorum Petri & Pauli, sic ait; Ego verò ingenuè fateor, explicare nō posse dignitatem Petri, cui petræ nomen & rem Christus dedit: Leone Papa teste. Petrus, inquit, firmitatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur accepit. *Et infra.* Cùm ego (ait Dominus) sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, tamen tu quoque petra es: quia mea virtute solidaris: vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Nullus ergo Apostolorum ita Christi authoritatem, & maiestatem refert ac Petrus.

Dignitas Petri inexplicabilis.

*D. Aug. D. Leo, & D. Basil. in homilia de pænitent. Item D. Ambr. & habetur. D. 50. can. fideliter, &c.*

## MATTHAEI XIV.

ET ſtatim compulit Ieſus Diſcipulos aſcendere in [a] nauiculã, & pręcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, & dimiſſa turba, aſcendit in montẽ ſolus orare. Veſpere autem facto, ſolus erat ibi. Nauicula autem in medio mari iactabatur. Fluctibus, erat autẽ contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos Ieſus ambulans ſuper mare; & videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt dicentes quia phãtaſma eſt, & præ timore clamauerunt, ſtatímque Ieſus loquutus eſt eis dicens; Habete fiduciam, Ego ſum, nolite timere. Reſpondens autem Petrus, dixit; Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas, & ipſe ait, Veni: & deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper [b] aquam, vt veniret ad Ieſum, videns verò ventum validum, timuit, & cùm cæpiſſet mergi, clamauit dicens, Domine ſaluum me fac: Et continuò Ieſus extendens manum apprehẽdit eum, & ait illi; Modicæ fidei quare dubitaſti? Et cùm aſcendiſſet in nauiculam [c] ceſſauit ventus, &c.

a DOctissimus Pater Theophilus Patriarcha Antiochenus, in Allegor. D. Matth. sic ait, Nauis est Ecclesia, quia vt illa de tabulis, sic & ista de animabus est composita fidelibus, vela extendit orando, anchorã fidei figit in cœlo, habet arborem Crucis, funes charitatis extendit, & remigia sanctæ operationis habere cognoscitur. *Theophil. Antioch.*

*Ex eodem ibidem.* Ambulat Iesus supra mare, quia nullo põdere peccati grauabatur. Petrus verò supra petram fundatus, in quo figuratur Ecclesia, in qua boni & mali sunt iuncti mergebatur, sed Domini est dextera subleuatus, quia nouit Dominus pios de tentatione eripere.

Diuus Ambrosius, sermone 11. de mirabilibus, sic loquitur. Hanc igitur solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus, dicente Domino. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quæ nauis in altum seculi istius ita natat, vt pereunte mundo, omnes quos suscipit, seruet illæsos: cuius figuram iam in veteri vidimus Testamento. Sicut enim Noë arca, naufragante mũdo, cunctos quos susceperat incolumes reseruauit, ita & Petri Ecclesia conflagrante seculo, omnes quos amplectitur representabit illæsos: & sicut tunc transacto diluuio ad arcam Noë columba signum pacis detulit: ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet: quia ipse columba, vel pax est. Idem super Epistolam 1. ad Timot. exponens illud, cap. 3. *Vt scias quomodo oporteat te ambulare, & in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui*, &c. Sic ait; Quum totus mũdus sit Ecclesia Dei, tamen Domus eius dicitur, cuius hodie Rector est, Paulus PP. V. Mundus enim in præuaricatione est, diuerso turbatus errore: ideò illic necesse est vt dicatur esse domus Dei, & veritas, vbi secundùm voluntatem suam timetur. *D. Ambr.* *Matt. c. 16.*

Nauis in qua Christus ascendit, symbolum fuit Ecclesiæ.

D. Gregor. lib. 17. Moral. c. 12. interpretans illud Matthæi 6. *Ascendit Iesus in nauiculam Petri*, &c. ita fatur; Per nauem Petri, quid aliud quàm commissa Petro Ecclesia designatur? Cassiodorus item explicans illud Psalm. 106. *Qui descendunt mare in nauibus*, &c. sic ait. In nauibus autem, Ecclesias signi- *D. Greg.* *Cassiodor.*

ficat, quæ ligno Crucis, mundi huius tempestates enauigant, vbi gubernator est Christus, vbi remiges Apostoli: & sanctorum Pontificum beata collectio: facientes operationes in populis Christianis. Hoc idem dicit doctissimus Aymo Episcopus, super Caput 5. Lucæ. Sic loquẽs; Nauis Simonis, signat primitiuam Ecclesiam; quæ beato Petro commissa est. Demum. D. Anselmus in expositione huius loci sic scribit. In hac

*D. Ansel.* lectione iuxta mysticam intelligentiam summatim describitur Ecclesiæ status, ab aduentu Saluatoris vsque in finem seculi. Iussit enim Dominus discipulos ascendere in nauiculam, quando Apostolis eorúmque successoribus, gubernandam commisit Ecclesiam. Et concludens ait. D. Ambros. vbi supra. Ergo Petri nauem ascendit Dominus, illámque elegit, in qua Petrus Magister est constitutus, &c.

*D. Ambr. vbi supra.*

b *Ambulabat super aquam*, &c. In vno etiam Apostolorum (ait D. Augustinus, de verbis Domini) id est, Petro, in ordine Apostolorum primo, & præcipuè in quo figurabatur Ecclesia, vtrumque genus significandum fuit, id est, firmi, in hoc quòd super aquas ambulauit; & infirmi, in hoc quòd dubitauit.

*D. August.*

c *Cessauit ventus*, &c. Ecce quanta securitas in Ecclesia reperitur, bene, inquit Matthæus, *Quòd portæ inferi aduersùs eam nõ præualebunt.*

*Matt. c. 16.*

---

## MATTHAEI XVI.

VEnit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos dicens. Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt; Alij Ioannem Baptistam, alij autem Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis Iesus; Vos autem, quem me esse dicitis?

dicitis? Respondens autem Petrus, dixit [a] tu es Christus Filius Dei viui. Respondit Iesus & dixit ei [b]. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus; qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hāc petram ædificabo Ecclesiam meā, & portæ inferi non præualebunt [c] aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcumque ligaueris [d] super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris, super terram erit solutum & in cœlis.

HAc [a] in fide fundata est Ecclesia Dei (ait D. Cyrillus Alexandrinus hom. 7.) hac spe supra petram fundamenta illius Dominus Deus posuit. Cùm proficisceretur Dominus Hierosolymam, interrogabat discipulos dicens. *Quem filium hominis filij hominum esse dicunt?* Dicebant Apostoli. *Alij Heliā,* &c. Vos verò, hoc est, mea electio, quid? vos qui me iam tres annos assectati estis, ac virtutem meam & potentiam vidistis; qui commensales mei estis, & etiam me vidistis super mare ambulantem, quem me esse dicitis? Confestim Petrus, Coryphæus & os Apostolorum, *Tu es* (inquit) *Filius Dei viui.* Tu es Christus, natura duplex, homo factus. Tu es Christus ait, non dixit Filius, sed Filius Dei viuentis. Agnouit vnicam personam. *Item*, ex eodem lib. 12. c. 64. in Ioan. Vt Princeps capútque cæterorum Petrus, primus exclamauit. *Tu es Christus Filius Dei viui* Beatus quoque Hyppolitus Episcopus & Martyr, de Petro loquens sic ait, Oratione de consummatione mundi: Princeps Petrus, fidei petra, quem beatum iudicauit Christus Deus noster, ille Doctor ecclesiæ, ille primus discipulorum, ille qui Regni claues habet, docuit nos, &c. Clemens Romanus in Epistola ad Iacobum prima; Simō Petrus, ait, veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtē

D. Cyrill. Alex.

D. Hippol. Martyr.

Clemēs PP. & Marty.

*Origen. in Matth.* tu fundamentum esse Ecclesiæ à Christo definitus est. Origenes lib. 5. in Epistolam ad Romanos sic ait; Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super terram, fundaretur Ecclesia: nulla virtus altera ab eo nisi charitas exigitur. Et in Matthæum c. 16. Christus de veritate dicebat Petro. *Tu es Christus Filius Dei viui.* In quo & beatificatus est, & per promissionem fieri meruit Ecclesiæ fundamentum. *D. Basil.* D. autem Basilius, sic ait lib. 2. aduersùs Eunomium: Petrus, quoniam fide præstabat, in seipso Ecclesiæ ædificationem suscepit. *Theoph.* Denique Theophylactus super hunc locum Matth. sic scribit, Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd supra eum ædificauit Ecclesiam: Eodem modo interpretantur hunc locum D. Hieronym. lib. 3. in Matth. Et D. Chrysostomus super eumdem Matth. vnde peruersè irrident nos hæretici dicentes, hanc Christi sententiam; *Tu es Petrus*, &c. non intelligi de Petro, nam licèt Christus sit primum fundamentum primariúmque totius Ecclesiastici ædificij; nihilominus tamen, super hoc fundamentum alias superposuit Christus petras, nempe Petrum, reliquósque Apostolos, quos D. Ioannes in Apocalypsi *Apoc. c. 21* nominat duodecim fundamẽta cælestis Hierusalem, quibus reliquas Ecclesiasticæ structuræ partes superædificatas esse non dubitamus.

b CVm cælesti magisterio Petrus imbutus esset, atque strenuè multos annos sancti Spiritus disciplina eruditus; plenam tandem pascendi potestatem accepturus, duarum clarissimarum virtutum fidei videlicet & charitatis, quibus cæteræ omnes maximè cõtinentur, publica documenta exibuit. Fidei quidem, vbi rogatus à Christo; vos autem quem me esse dicitis? *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei viui*, charitatis verò, cùm eodem interrogante, *Petre diligis me plus his? tu scis Domine*, respondit, *quia amo te*: Vtraque autem virtus tanto splendore enituit, atque effulsit in Petro, vt ob eam rem summis encomiis hac diuina Christi voce eumdem celebratum esse sciamus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis*, &c. Charitatis similiter à Christo Iesu magnificam

admodũ his verbis laudem tulit: *Cùm esses junior cingebas te, & ambulabas quò tu volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget:* quibus pro Euangelio mortem esse oppetiturum Petrum declarat: qua vna charitate nulla maior fingi possit: Et sanè rationi videtur nimiùm consentaneum, vt qui autoritate, dignitate, atque honore cæteros omnes plurimũ exuperat, duabus his vt cæteras taceam, excellentissimis virtutibus plurimùm polleat, quarum Petrus non verbis modò, vt attigimus, sed re quoque ipsa insigne orbi terrarum reliquit exemplum: atque specimen præbuit. Tales ergo in Ecclesia sua Christus Pontifices requirit: & talis est qui eam modò regit.

*Regnabit in æternum, & regni eius non erit finis. Potestas eius, potestas æterna: Regnum eius, Regnũ quod non corrũpetur. Daniel.7* Huius rei si litteræ tacerent Sanctę, historiæ temporum testes, haud dubiam fidẽ facere possent: quantumuis enim Christi regnum animorum tumultibus, morum peruersitate, & nouis subinde opinionibus hactenus impetitum sit, validè concussum, & mirabiliter oppugnatum, nusquam tamen subuerti aut labefactari potuit. *Portæ inferi non præualuerunt*, &c Ipsi & iurati hostes & capitales Ecclesiæ, qui elapsis temporibus, summo Pontificatui bellum indixerunt, veritati vsque adeò in luce positæ repugnare veriti sunt: produco in mediũ Bucerum, Dęmonis buccinã, is cùm ab Henrico Angliæ Rege, qui Pontificiam dignitatem magnopere extinctam cupiebat, rogaretur, quęnam ratio in iri posset euertendi Ecclesiam Dei: Nullã, inquit, excogitare queas ô Rex, nisi priùs Christum Iesum eius conditorem, seruatorémque de medio abstuleris.

c *Non præualebunt aduersùs eam*, &c Falsò existimarunt Hussitę dicentes, potestatem summi Pontificis & Episcoporũ ita pendere ex imitatione sanctitatis Petri, vt quoties sanctitatẽ peccando amittant, etiam Petri potestatem amittant. Damnatus est hic error in Concilio Tridentino Sessione 14. num. 10. per hæc verba. *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & soluendi non habere, Anathema sit.* Conc. Trid.

D.Chrysost. D. Chrysostomus homilia 55. in Matth. ita fatur, Deus concedere solus potest peccatorum remissionem, & vt futura Ecclesia tot tantísque fluctibus impetu irrumpẽtibus immobilis maneat, cuius Pastor & caput piscator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet.

D.Cyril. Alexand. d *Quodcumque ligaueris*, &c. D. Cyrillus Alexandrinus sic ait, ipsius Apostolici Throni Romanorum Pontificum solius est reprehendere, statuere, soluere, disponere; & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit.

---

# LVCÆ XXII.

FActa est autem & contentio inter eos quis eorum videretur esse maior [a]. Dixit autem eis; Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est qui recũbit, an qui ministrat? Nónne qui recũbit? Ego autem in medio vestrũ sum sicut qui ministrat, vos autem estis qui permansistis mecum in tẽtationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus [b] regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicãtes duodecim tribus Israel. Ait autẽ Dominus Simoni; Ecce Satanas expetiuit vos [c] vt cribraret sicut triticum.

Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma [d] fratres tuos, &c.

a Quis eorum videretur esse maior, &c. D. Gregorius hoc in loco sic ait, Hæc contentio motiuũ habuit, quòd cùm Dominus ab hominibus transmigraret, oportebat aliquem eorum fieri aliorum principem, quasi Domini vicem gerentem. *D. Greg.*

b *Sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, &c. D. Cyrillus Alexandrinus in lib. Thesaur. sic loquitur, Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium, dux ex Israël egrediens, super omnem principatum & potestatem, super omne quodcumque, vt omnia ei curuentur; sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit, & nulli alij quàm Petro Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Et rursus. Pedes Christi humanitas est, scilicet, homo ipse, cui tota Trinitas plenissimam dedit potestatem, quem vnus trium assumpsit in vnitatem personæ, transuexit ad Patrem super omnem principatum & potestatem, vt adorent eum omnes Angeli Dei, quem totum dimisit per sacramentum & potestatem Petro & Ecclesiæ eius. Et iterum. Petro, omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tamquam ipsi Domino Iesu obediunt. *D. Cyrill. Alexand.*

**Petro & eius successoribus commisit Christus omnem principatum & potestatem.**

c *Simon, Ecce Satanas, &c.* Hoc autem Petro dixit (inquit Theophylactus) eò quòd fortior erat aliis, & superbire poterat in his quæ promissa erant à Christo, nempe facturum illum caput cæterorum, &c. Et ideò omissis aliis (inquit D. Cyrillus) venit ad Petrum cæteris prælatum. *Theophyl.* *D. Cyrill.*

d *Confirma fratres*, &c. Idem Theophylactus. Postquàm me negato fleueris, ac pœnitueris, corrobora cæteros, cùm te principem Apostolorum deputauerim, hoc enim decet te, qui mecum robur es & petra Ecclesiæ. *Et infra.* Cùm esset Apostolus denegauit, ac iterum per pœnitentiam obtinuit prerogatiuam, vt esset Antistes mundi. Et exponens verba illa Ioan. vlt. *Cùm ergo prandissent*, hæc addit: Finito prandio com-

**Petrus princeps cæterorũ Apostolorum.**

missionem ouium mundi Petro commendat non alij. Insuper super illud, *Sequere me*, &c. Sic ait, in hoc quòd dicit Dominus Petro, *Sequere me*: cunctorum fidelium prælaturam ei instituit. Et exponens illud. *Donec veniam*, &c ait; Dum hûc, scilicet Ioannem, volens dirigam ad prædicandum; te namque nunc dirigo ad orbis Pontificatum, & in hoc me sequere.

---

## *IOANNIS I.*

INtuitus [a] autem Iesus eum, dixit, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, &c.

*D. Cyr. Al.* a REspicit, vt Deum decet (inquit D. Cyril. Alexandr.) qui corda & renes scrutatur: vidétque qui nihil ignorat, ad quantam fidem & virtutem Discipulus peruenturus sit: & anteà quàm aliquid de eo quæsiuisset, tam ipsum quàm patrem eius nomine appellat; & hac re Discipulum instruit, eum se esse qui cuncta etiam antè quàm fiant nouit; nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo, tamquam in petra lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam. *In Petro tamquã in lapide firmissimo Ecclesiam fundauit Christus.* *Theophilus in Marcum . sic loquitur in hac parte.* *Theop. Archiep. Alexandrin.* Socrus Petri, Synagoga est, filiaque eius Ecclesia, quam regendam Petrus accepit *Venerabilis Beda sic ait*; *Ven. Beda.* Vidit cordis eius simplicitatem: animi sublimitatem: cuius merito cunctæ esset præferendus Ecclesiæ.

---

## *MATTHÆI XVII.*

ET cùm venissent Capernaum accesserũt qui didrachma accipiebant ad [a] Petrum, dixerunt ei; & Magister vester nõ soluit

didrachma? Ait; Etiam. Et cùm intrâsset in domum præuênit eum Iesus dicens; Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit; Ab alienis. Dixit illi Iesus; Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & [b] te.

a AD *Petrum, &c.* Quia igitur primogenitus erat Christus (ait D. Chrysostomus) videbatur autem Discipulorum primus esse Petrus, ad eum accedunt. D. Anselmus sic dicit. Pro Christo & pro Petro datur didrachma, sed diuersis modis: Petrus gerit hic personam Ecclesiæ: Christus soluit pretium pro se, quia passio sua fuit sibi pretiũ exaltationis, iuxta illud Pauli; *Propterea exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*, &c. Et pro Petro, id est, pro Ecclesia, vt eam à captiuitate liberaret. D. autem Hieronymus sic ait. Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt, Petrũ omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus. Eiusdem sententiæ est doctissimus Origenes quandoquidem subdit. Ego arbitror quoniam maximum hunc existimantes honorem in Petrum à Christo collatum: quasi per hoc iudicâsset eum cæteris Discipulis meliorem, cupiebant quod suspicabantur cautè cognoscere: hęc diximus propterea quod ait, in illa die, vel hora, quando de statere sermo fuerat factus. Idem sentiunt doctissimi Patres Eusebius Emissenus, & Aimo.

Non accedunt ad Iesum propter reuerentiam eius (ait Dionys. Cartusianus) quem nouerant tanta operari miracula, &

Margin notes: D. Chrys. — D. Ansel. — Petrus personam Ecclesiæ gessit. — Philipp. 2. — D. Hier. — Origenes. — Dion. Cart.

tantum honorari à populo, sed Petrum tanquam principalem inter Discipulos. Venerabilis Beda, in cap. 18 Matthæi, sic scribit: Tributo pro Petro atque Domino reddito, arbitrati sunt eum Apostolis omnibus esse prælatum, & propter hoc etiam interrogant discipuli, quis maior sit in Regno cœlorũ, hoc est, in Ecclesia. Christus enim voluit dare tributum pro se, & pro Petro (inquit Lyranus) quia iam Petrum fecerat capitaneum super alios Apostolos, vt habetur Matthæi c. 16. Capitanei enim domorum soluebant duplex drachma. Quantùm autem didrachma valeat, consule Papiam & Isidorum, de ponderibus.

*Beda Pr.* *Nic. de Ly.*

b *Pro me, & te.* Quemadmodum enim pro seipso, quòd paterfamiliâs esset Christus didrachma pependit, ita etiam cũ pro Petro porrigi iubet, eumdem patremfamiliâs declarat, & cæteri præficit, quod Augustinus, Ambrosius, & Cyrillus magni viri nobis retulerunt. Accedit ad hoc, quòd cùm Matheus Euangelista duodecim Apostolos nominatim recenseret principem locum Petro tribuit, dicens. *Duodecim nomina Apostolorum hæc sunt; primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andręas frater eius.* Cùm enim prior Audræas quàm Petrus ad Apostolatum vocatus sit, quod ex Ioannis Euangelistæ historia liquidò constat, non potest primus vocatione Petrus existimari, sed dignitate atque honore. Deinde cùm in omni fere sermone quem Christus contulit cum Apostolis suis, & roget Petrus, & respondeat, neque suo tantùm nomine, sed etiam cæterorum Apostolorum, quod vel eo argumento conuincitur; quoniàm interrogante Christo: *Vos autem quem me esse dicitis?* Vnus Petrus subiungit, *Tu es Christus filius Dei viui.* Dubium esse non debet, quin Petrus caput Ecclesiæ, & princeps reliquorum sit constitutus. *Item,* Principis officio cæteris pręsidẽtibus defunctus est, postquàm in æthereas sedes Christus remeauit, (quod ille temerè nusquam vsurpâsset) cùm enim de creando in locum Iudæ Apostolo ageretur, *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit; Viri fratres,* &c. In die Pentecostes ille vnus cæteros omnes à crimine quod illis inurebatur defendit. Ille vnus tamquam iudex à Christo delectus, spectãtibus cæteris,

*Autor huius lib.* *Matth. c. 10* *Ioann. c. 10* *Matt. c. 16.* *Actor. c. 1.* *Actor. c. 2.* *Actor. c. 3.*

Petrus soluens didrachma pro se & Domino, princeps cæterorũ constituitur.

teris, Ananiam & Sapphiram capite damnauit. Ille vnus Simonis Magi teterrimum vitium verbis acerrimis reprehendit. Ille vnus in Ecclesię gremium gentes admittere iussus est, cũ conspecto linteo, in quo omnis generis animalia cernerentur, illam vocem auribus hausit. *Surge Petre, occide & manduca.* Denique ille vnus in Concilio Apostolorum de cessatione legalium autor sententiæ fuit, quod est hominis in Ecclesia tenentis imperium. *Acto. c. 5.* *Acto. c. 8.* *Acto. c. 10.* *Acto. c. 15.*

## *MATTHAEI* XVIII.

SI autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos; vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos; dic [a] Ecclesiæ. Si autem Ecclesiã non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super [b] terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcũque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis est, vbi enim sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio illorum. Tunc accedens ad eum [c] Petrus dixit; Domine quoties peccabit in me frater meus &

dimittam ei? vſque ſepties? Dicit illi Ieſus; Non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.

D. Chryſo. D. Ambr. Compſę.

a DIc Eccleſiæ. Diuus Chryſoſtomus, hoc in loco, & Ambroſius Compſę Epiſcopus, ſic exponunt; *Dic Eccleſiæ*, id eſt, illis dic, qui in Eccleſia Dei cæteris præſunt, vti ſunt Paſtores & Rectores Eccleſiæ. Sed quoniam oportebat (ſubdit Origenes) aliquid maius habere Petrum præ illis qui ter arguerant, ideò illi quidem ſic dicit: *Et tibi dabo claues Regni cœlorum*, &c. Non ergo modica differentia eſt, inquit iſtemet Autor, inter Petrum & alios. Petro datæ ſunt claues multorum cælorum, non vnius tantùm cæli; aliis autē in vno cœlo, quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus.

*Origenes. Paſtores & Rectores Eccleſię præſunt aliis, præcipue Petrus & eius ſucceſſor.*

*D. Maxi.*

b *Quæcumque alligaueritis ſuper terram*, &c. Diuus Maximus in Epiſtola Orientalibus directa, ita ſcribit. Omnes fines orbis qui Dominum ſincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Eccleſiam Romanorum tamquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ & Apoſtolicæ fidei recipiunt. Poteſtatem tribuit Apoſtolis (inquit D. Hieronymus) vt ſciant qui à talibus condemnantur, humanam ſententiam diuina ſententia roborari; & quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cœlo. Et eſt notandum (ait doctiſſimus Chryſoſtomus) quòd non dixit primati Eccleſiæ, liga talem, ſed, ſi ligaueris, indiſſolubilia erunt ligamina, quaſi hoc eius iudicio dimittens.

*D. Hieron.*

*D. Chryſ.*

*D. Anſel.*

c *Petrus dixit*. Gerit hic Petrus perſonam Eccleſiæ, ait D. Anſelmus, & ita loquitur ipſe.

## MATTHÆI XXVI.

ET aſſumpto Petro [a], & duobus filiis Zebedæi cæpit contriſtari, & mæſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: Suſtinete hîc & vigilate

mecum. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orãs & dicens; Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; verũtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis, & venit ad Discipulos suos & inuenit eos dormiẽtes, & dicit Petro [b], Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, &c.

a ASsumpto Petro, &c. Petrus fidem significat, in Petri enim fide fundatur Ecclesia Christi.

b *Dicit Petro.* Futurus erat prælatus, cui vigilare cõpetit, & Petro dicitur vt vigilet, ait doctissimus Dionysius Carthusianus, quia superior fuit Apostolis aliis.

*Prælati vigilare debent.*

*Dionis. Cartus.*

## *LVCÆ XXII.*

COmprehendentes autem Iesum duxerunt ad domum Principis Sacerdotũ. Petrus verò sequebatur eum à longè. Accenso autẽ igne in medio atrij, & circũsedentibus illis, erat Petrus [a] in medio illorum, quem cùm vidisset ancilla [b] quædam, sedentẽ ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit; Et hic cũ illo erat. At ille negauit eum dicens; Mulier, nõ noui illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit; Et tu de illis es: Petrus verò ait; O homo non sum. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens. Verè & hic cũ

illo erat, nam & Galileus est. Et ait Petrus; Homo, nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente; cantauit gallus. Et conuersus Dominus respexit [c] Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat, quia priùs quàm gallus cantet ter me negabis. Et egressus foras fleuit, &c.

*D. Ambr.* a E*Rat Petrus*, &c. Diuus Ambrosius sic ait. Accessit, inquit, Petrus vt calefaceret se, quia clauso Domino calor mentis iam in eo refriguerat; sed traditæ sunt illi claues regni cœlorum (vt ait D. Chrysostomu ) *D. Chrys.* quia credēda erat ei populorum innumera multitudo: quæ esset inuoluta peccatis. Erat autem Petrus Paulo durior, sicut truncata serui Principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus tamque seuerus, si donum non peccādi fuisset adeptus; quę venia commissis populis donaretur? Quem diuina prouidentia permisit, quòd primò ipse laberetur in peccatum; quo erga peccantes duriorem sententiam proprij casus intuitu tēperaret, & cùm se calefacere vellet ad prunas, accessit puella, de qua sequitur, *Quæ cùm vidisset*, &c. *hæc ille.* Petrus Durior fuit ipso Paulo.

*Hugo Cardin.* b *Ancilla quædam.* Rectè etiam Principem Ecclesiæ compulit ad negationem fœmina (inquit noster Cardinalis Hugo) quæ primum hominem compulit ad transgressionem. Sed notandum (ait Hilarius) quòd Petrus in hac negatione, fidem non amisit, sed constantiam credendi firmam & inconcussam seruauit. Hoc idem sentiunt doctissimi Patres, videlicet D. Ambros. in Lucam, D. Leo, & D. Bernardus Abbas. *D. Hilar. in Ps. 52. D. Ambr. D. Leo Papa. D. Bern.* Petrus Fidem non amisit.

*Apocalyp.* c *Respexit Petrum.* O magna virtus oculorum Christi (etiam sputis & saliuis conspurcati) quæ Petrum tam profundè iacentem erexit? Meritò dixit Beatus Ioannes; *Oculi eius tamquā flamma ignis.* d Refert D. Clemens Papa, quòd Petrus ex hac nocte traxit in consuetudinem, quòd omni nocte à primo gallorum cantu vsque ad horam matutinam, staret in oratione, *D. Clem. Papa. Virtus oculorum Christi magna fuit.*

ſuam vberrimè negationem deplangens: ita quòd facies eius ex lachrymis videretur quaſi exuſta.

## MATTHAEI XXVIII.

DAta eſt mihi omnis [a] poteſtas in cœlo & in terra; euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Docētes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum [b] vſque ad conſummationem ſeculi.

a *Omnis poteſtas.* Volēs ergo Chriſtus (inquit Sāctus Remigius) etiam hominibus notum fieri, quòd data eſſet ſibi omnis poteſtas in cœlo & in terra, prædicatores miſit qui verbum vitæ cunctis nationibus prædicarēt. Adimpleuit enim Dominus quod per Iſaiam Prophetam dixerat, cap. 66. *Mittam ex eis qui ſaluati fuerint ad gentes in mare, in Aphricam, & Lydiam*, &c. *Et annuntiabunt gloriam meam gentibus. & quæcumque ſoluerint ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*, &c. Ad hoc enim inter alia multa, dedit Petro & cæteris Apoſtolis poteſtatem, & cætera quæ D. Marcus narrat in c. 16. *D. Remi.* *Eſai. c. 66.*

b *Vobiſcum ſum.* Hoc eſt, cum vobis & ſucceſſoribus veſtris, cunctiſque fidelibus: ſeu militanti Eccleſia.

## MARCI XVI.

ET introëuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentē in dextris coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Qui dixit illis; Nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenū

crucifixum; surrexit, non est hîc. Ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite Discipulis eius & Petro[a], quia præcedet vos in Galilæam, ibi, &c.

a ET *Petro.* Dicit autem specialiter & Petro (inquit sacratissimus Hieronymus) quia se indignum iudicauit
*D. Hieron.* discipulatu, cùm ter negauit Magistrum, sed peccata
*Ven. Beda.* præterita non nocent, quando non placent. Venerabilis Beda, hæc habet, *Et Petro*, &c. Petrus vocatur ex nomine, ne
*Peccata præterita non nocēt, si non placeant.* desperet ex negatione. Nisi enim eum Angelus nominatim exprimeret qui Magistrum ter negauerat, inter Discipulos venire non auderet. Et notandum, cur eũ quem Ecclesiæ suæ omnipotens præferre proposuit, ad ancillæ vocem negare permisit: hoc enim actum est magna pietatis dispensatione: vt qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret quomodo aliis misereri deberet.

---

## MARCI XVI.

EVntes[a] in mundum vniuersum prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur; In nomine meo Dæmonia[b] eiicient: linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Iesus postquàm lo-

cutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti [c] prædicauerũt vbique Domino cooperante, & sermonẽ confirmante sequentibus signis.

a *EVntes, &c.* Anteà enim dictum erat eis, *in viam gentium ne abieritis*, Matth. 10. Modò autem, prædicate omni nationi gentium. Vt scilicet, Apostolorum priùs à Iudæa repulsa prædicatio, tunc gẽtibus in adiutorium fieret. *Matt. c. 10.*

b *Dæmonia eiicient.* Hoc hodie spiritualiter fit in Ecclesia, cùm per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt & malignos spiritus expellunt.

c *Illi autem profecti*, &c. Id est; Apostoli, seu Christi discipuli, profecti, vti illis imperatum erat, *Prædicauerunt vbique, & in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psalm. 18.

---

## *LVCÆ* XXIV.

ET surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalẽ, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant dicentes, quòd surrexit Dominus verè, & apparuit [a] Simoni, & ipsi narrabãt quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

a OMnium enim virorum primo (ait Venerabilis Beda) Dominus apparuisse videtur Petro ex his, quos Euangelistæ quatuor, & Paulus Apostolus commemorauerunt. Primò digniori & fideliori omnibus Petro, (inquit D. Chrysostomus) vt qui primò confessus est eum Christum, primò Resurrectionem videre mereatur.

*Vener. Beda.*
*Petro primo omnium apparuit Christus.*
*D. Chrysost.*

## *JOANNIS* XIII.

ANte diem festum Paschæ sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cæna facta, cùm Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad eum vadit; surgit à cæna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteũ præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cæpit lauare pedes Discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem [a] Petrum, & dixit ei Petrus: Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem posteà. Dicit ei Petrus: non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus [b] Domine non tantùm pedes, sed & manus & caput, &c.

a *VEnit ergo ad Simonem Petrum*, &c. Non post alios (vt quidam volunt) sed priùs ad Principem Apostolorum, & ideò expauescit: Hoc mysterium magnum est, quod nemo cognouit, etiam qui lauerunt requirunt (inquit

(inquit D. Ambrosius) incæpit ergo lauare à primo Apostolorum (ait doctissimus Augustinus) vt ei qui maior erat, præcipuè daret exemplum humiliandi se, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*. Idem *in Ioannem*. Non debemus putare, hoc Petrum inter cæteros formidasse atque recusasse, cùm & id alij ante ipsum libenter, vel æquanimiter fieri permisissent; non enim ità intelligendum est, quasi aliquibus iam lauisset, & post eos venisset ad Petrum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimũ Petrum, & quòd ab illo cœperit? Quando ergo pedes Discipulorum lauare cœpit, venit ad eum, à quo cœpit, id est, ad Petrum, & tunc Petrus expauit.

b *Dicit ei Simon Petrus*, &c Pro Sacramento istud factum est (inquit dulcissimus Bernardus) non pro solo exemplo. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sinè eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei. Salutare esse mysterium agnouit cùm respondit; *Domine non tantùm pedes meos, sed & manus & caput*.

*D. Ambr. vide etiam illum in li. de Spiritu sancto in Prologo illius.*

*D. Aug. Eccl. c. 3.*

*Christus prius lauit pedes Petri, quàm aliorum discipulorum.*

*D. Bern.*

## JOANNIS XX.

VNa autem Sabbati [a] Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentũ, & vidit lapidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad [b] Simonem Petrum, & ad alium Discipulum quem amabat Iesus, & dixit illis; Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eũ. Exiit ergo Petrus, & ille alius Discipulus [c], & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul & ille

alius Discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinâsset vidit posita linteamina, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit [d] & ille Discipulus qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit: nondum enim sciebant Scripturã, quia oportuit eum à mortuis resurgere.

a VNa autem Sabbati, &c. Hæc autem tam subtilis Euangelistæ descriptio (ait D. Gregor. in Homilia) à mysteriis vacare credenda non est. *Venit autẽ Simon Petrus*, &c. quia secuta posterior Ecclesia gentium, Christum Iesum, & cognouit carne mortuum; & viuentem credidit Deum. *D. Gregor.*

b *Ad Simonem* &c. Tamquam ad principaliorem inter Apostolos, & illorum caput.

c *Et ille alius Discipulus*. Ioannes significat Synagogã quæ prior venit ad monumentum; sed non intrauit, quia Prophetias de Incarnatione & Passione audiuit, sed & mortuum credere noluit: Petrus est Ecclesia quæ cognouit carne mortuum: & viuentem credidit Deum; post quem & Iudæa in fine intrabit. Ita Glossa ordinaria Lyrani, & D. Gregorius vbi supra. *Ioannes Simbolum Synagogæ, sicut & Petrus Ecclesiæ. Nicol. Lyr. & D. Greg.*

d *Tunc ergo introiuit & ille Discipulus*, &c. Ille alius Discipulus non introiuit priùs, propter Petri reuerentiam, quem exspectauit: quia erat senior ipso & inter Apostolos principalior. Postquàm autem intrauit Petrus, ingressus est & Ioannes: quia in fine mundi ad Redẽptoris fidem etiam Iudæa colligetur.

## *JOANNIS XXI.*

POsteà manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis; manifestauit autem sic. Erant

ſimul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ; & filij Zebedæi, & alij ex Diſcipulis ſuis duo; Dicit eis Simon Petrus; Vado piſcari [a]. Dicunt ei; Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcẽderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Manè autem iam facto, ſtetit Ieſus in litore, non tamen cognouerunt Diſcipuli quia Ieſus eſt. Dicit ergo eis Ieſus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebãt illud trahere præ multitudine piſcium. Dicit ergo Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij verò Diſcipuli nauigio venerunt: non enim longè erat à terra, ſed quaſi cubitis ducentis trahẽtes rete piſcium. Vt ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas & piſcem ſuperpoſitum, & panem. Dicit eis Ieſus; Adferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit [b] rete in terram, plenum magnis piſcibus, cẽtũ quinquaginta tribus, Et cùm tanti eſſent, nõ eſt ſciſſum rete. Dicit eis Ieſus: Venite, prandete, & nemo audebat diſcũbentium interrogare

eum, tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus Discipulis suis, cùm surrexisset à mortuis. Cùm ergo [c] prādissent dixit Simoni Petro [d] Iesus. Simon Ioannis diligis me plus his? Ait illi; Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce [e] oues meas. Dicit ei iterum: Simon Ioānnis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterum: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò. Simon Ioannis amas me? Et cōtristatus est Petrus, quia dicit ei tertiò, amas me: & dixit ei; Domine tu omnia nôsti, tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce oues meas. Amen, Amen dico tibi, cùm esses iunior [f] cingebas te; & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis, &c.

D. Gregor. a Diuus Gregorius, Homil. 24. sic ait. Petro autem sancta Ecclesia est commissa: ipsi specialiter dicitur. *Pasce oues meas.* Quod ergo postmodum aperitur in voce, *nunc*, significatur in opere. Ipse enim pisces ad soliditatem litoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriç fidelibus ostendit. Hoc egit verbis, hoc Epistolis: hoc agit quotidie miraculorum signis. Diuus autē Cyrillus Alexandrinus hunc exponens locum sic effatur. Exiit ergo Petrus piscatum: concurrunt etiam cæteri, Christo forsan ita dispensante qui quādo ad Apostolatum eos vocauit: *Venite*, inquit, *post me, & faciā vos fieri piscatores hominum.* Hoc ita factum est, nā virtute Christi ipsis collata, mirabilis & magna multitudo piscium: imò

D. Cyrill.

innumera fidelium, ad terrestrem hanc Ecclesiam, quasi ad retia collecta est. Iussu autem Domini hoc factum est, parentes Christi imperio qui illis dixit. *Euntes in mundum vniuersum prædicate, & docete omnes gentes*, Matth. 28. Ipsi etiam respondentes. *In nomine tuo rete mittemus.* Item, paulò inferiùs. Non enim ab Apostolis spiritalis incæpit piscatio, sed Saluator noster primus manum imposuit, locóque primitiarum vnum piscatus est. Nec vnum simpliciter intelligimus, sed paucitatem ita significari arbitramur Posteà verò ingentem discipuli multitudinem nutu ipsius roborati, piscati sunt. *Matth 28.*

b *Traxit rete*, &c Trahit autem rete Petrus ( inquit D. Cyril. Alexand.) per quem labor Apostolorum non esse inanis intelligitur. Attulerunt enim piscationis authori, id est, illi qui mittere iussit rete, pisces numero centum quinquaginta tres. Significat autem centenarius (vt mihi videtur) numerus, gentium plenitudinem. Plenissimus numerus est, qui decem decadibus constat. *D. Cyrill.*

c *Cùm ergo prandissent*, &c. Commissionem ouium mundi ( inquit Theophylactus ) finito prandio Petro commendat, non aliis, sciens quòd plus omnibus eum diligeret Petrus. Et D. Augustinus sermone de Passione, subdit. Confitenti autem amorem suum, oues suas commendauit: tamquam non esset vbi ostenderet Petrus amorem suum in Christum, nisi esset Pastor fidelis sub principe omnium pastorum. Idem Augustinus super Ioannem, exponens illud. *Pasce oues*, &c. sic ait Sit amoris officium pascere dominicũ gregem, sicut fuit timoris indicium negare Pastorem. *Theophylactus.* *D. August.*

d *Dicit Simoni Petro*, &c. Aliis omissis ( inquit illud os aureũ, nempe D. Chrysostomus ) dumtaxat Petrum affatur fratrum ei curam committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantùm dicit. Si amas me, fratrum curam suscipias. *Et infra*, tractans illud, *sequere me*, sic ait. Istis verbis iterum curam & familiarem in eum affectum, ostendit. Insuper, exponens illud. *Hic autem quid?* sic ait. Nam cùm magna Dominus Petro communicâsset, orbis terrarum curam demandâsset, martyriũ prædixit, & maiora &c. Ecce claues Regni cœlestis *D. Chrys.*

D. Greg. in Regist. l. 4. Epist. 32. accepit, inquit, D. Gregorius, potestas ei ligandi & soluendi tribuitur. Cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur.

D. Chrys. Homil. 86. e *Pasce oues meas.* Diuus Chrysostomus sic iterum loquitur. Præteriens autem Dominus alios, Petro de talibus loquitur. Eximius enim Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, vertéxque Collegij: vnde & negatione deleta, committit ei prelationem fratrum. Cõsimilia sunt quæ hac in re dicit Arias Montanus. Confirmatur, inquit, amor Petri erga Christum, ipsius Petri confessione indicatur amor Christi ardentissimus erga oues, quarum pascendarum cura, Apostolis, & Petro vt seniori inter eos, præcipuè commendatur præsentibus aliis, ídque tertiùm fit manifesta expositione voluntatis & consilij Trinitatis de hac re. Oues meas tibi nomine Patris mei commendo. Agnos meos nomine meo tibi cõmendo: oues meas nomine Spiritus sancti tibi commendo pascendas verbo doctrinę, & vitæ: ita vt animam etiam ponas pro hoc ministerio. D. Cyrillus Alexandrinus perpendens hoc dictum. *Pasce oues meas.* Sic ait: Apostolatus sibi renouauit dignitatem. *Item.* In singulis confessionibus, variatis parum verbis, audiuit rationalium ouium curam sibi esse habendam.

Arias Mõtanus. D. Cyrill.

Arias Mõt. f *Cingebas te,* &c. Significauit Iesus (inquit Arias Montanus) Petro, maximi & fortissimi animi opus esse pascere oues suas, eo modo quo Deus pasci vult: quippe oporteat non se suásque res curare, sed prorsus cæpto munere propriam voluntatem abnegare ac libertatem vitámque suam pro suis ouibus ponere. Hoc quoque significare illi voluit dicens, *Sequere me.* Hoc est, imitare me, qui pro ouibus meis animam posui meã, & pro te ipso: tu etiam pro me, ouibúsque meis verbo vitæ pascendis omnia perferto vsque ad vitæ finem, &c. Vide D. Cyril. Alexand. in Ioan. lib. 12. c. 65.

## ACTORVM I.

ET cùm introissent in cænaculum ascenderunt vbi manebat [a] Petrus, & Ioannes, & Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphei, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi: hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus; & Maria Matre Iesu, & fratribus eius. In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum [b] dixit. (Erat autẽ turba hominum simul fere [c] centum viginti) viri fratres [d], oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius; & hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspẽsus crepuit medius [e], & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem, ita vt apellaretur ager ille lingua eorum Hakeldema (hoc est, ager sanguinis.) Scriptum est enim in libris Psalmorum: fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & Episcopatum eius accipiat al-

ter:oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Matthiam [f]; & orantes dixerunt. Tu Domine qui corda nôsti omniũ, ostẽde quem elegeris, ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum; & dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

*Nicol. Lyr.* *Rabanus.* a *VBi manebat Petrus*, &c. Primus ponitur Petrus (ait Lyranus) quia Princeps & Pastor. Cæteri autem nominantur (inquit Rabanus) ne extra hos aliqui falsò recipiantur, paria & ponuntur loca singulorum distinguentibus gradibus meritorum. Petrus Princeps & pastor.

b *Exsurgens Petrus in medio fratrum*, &c. Iam enim & ante passionem designatus, & post passionem fuit à Christo Princeps Apostolorum constitutus, ideò tamquam maior ac prior præ ceteris loquitur. Sed propter tanti collegij dignitatem (inquit *Dion. Cart* Dionysius Cartusianus) potissimum propter Matris Christi præsentiam, humiliter surgit, reuerenter stat, sapientérque *D. Chrysost.* loquitur. Quàm est feruidus? (inquit D. Chrysostomus) quã agnoscit creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro Princeps est? & vbique primus omnium incipit loqui.

c *Centũ viginti*, &c. Hic numerus (inquit sapientissimus Ra- *Rabanus.* banus) congruit ætati Moysi: vt sicut sub hoc numero Moyse de

defuncto, Iesus successit, qui populum in terram promissionis induxit: sic veteri legi in Ecclesia principatus Christi successit, ducens verum Israël ad regnum cæli.

d *Viri fratres*, &c. Cur non solus postulauit à Christo (ait D. Chrysostomus) vt ipsi daret aliquem substituendum in locũ Iudæ? Respondit ipsemet, iam Petrus erat seipso factus melior. *Item.* Considera quàm Petrus agit omnia ex communi Discipulorum sententia, nihil cum imperio Neque dixit simpliciter: hunc in locum Iudæ sufficimus, sed consolans illos super eo quod acciderat; vide quo pacto dicẽdi sumit exordiũ. *D. Chrys.*

e *Et suspensus crepuit medius*, &c. Non mihi placet dictum Oecumenij exponentem hunc locum Est enim contra sententiã omnium Patrum scribentium, Iudam, iuxta Euangelicam sententiam, laquei præfocatione interiisse. Ait itaque supradictus author, in Collectaneis Apostolicorum Actuum, quòd Iudas suspendio è vita non discessit, sed superuixit, deiectus est enim priùs quàm præfocaretur; hoc enim indicat littera dum dicit, quòd pronus crepuit medius. Non solùm iste Author, sed & Papias, Ioannis Apostoli discipulus, eiusdem sententiæ videtur esse, dum de Iuda loquens sic scribit: Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Iudas; in tantum corpore inflatus, vt progredi non posset, cum currus leui cursu pertransiret, curru comprehensus est: ita vt effunderentur eius intestina Alia multa dicuntur de illo ab his autoribus, quæ quia fictitia sunt, illa cum illis reiicimus. Legite Poëtam Iuuencum vetustissimum lib. 4. Euangelicæ historiæ, qui suis carminibus suspensionem Iudæ mirabiliter describit. *Sententia Oecumenij de Iuda reijcitur.*

f *Et Matthiam*, &c. Hic ad litteram agitur de electione Matthiæ, cuius necessitas ostenditur ex casu Iudæ, & eius morte. Et quoniam summi Pontifices & Episcopi sunt successores Apostolorum; datur nobis intelligi per hoc, quòd mortuo Pontifice, illi ad quos pertinet, debent sinè moræ dispendio de alio prouidere. Electio verò Matthiæ, partim fuit ab Apostolis, quia de multitudine credentium statuerunt duos magis idoneos suo iudicio, sed quis esset magis idoneus eorum, recurrerunt ad diuinum iudicium dantes sortes eis: postulata ta- *Sũmi Põtifices & Episcopi, successores sunt Apostolorum.*

men prius electione diuina per deuotas orationes. Datio verò modò sortium prohibita est in electionibus Ecclesiasticis; quæ debent fieri per Spiritum Sanctum, cuius abundantia data fuit post electionem Matthiæ. Hinc est, quòd electio septē Diaconorum facta fuit sinè datione sortium: quia facta fuit postquàm Apostoli receperunt plenitudinem Spiritus sancti. Videantur, Diuus Augustinus in Epistola ad Honoratum, Beda in Actibus Apostolorum, & D. Thomas 2. 2. q. 95.

## ACTORVM II.

STans autem Petrus [a] cum vndecim eleuauit vocem suam, & locutus est eis; Viri Israëlitæ, qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea: Non enim sicut vos æstimatis hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit, in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.

a STans autem Petrus, &c. Loquitur quasi Pastor pro ouibus. Iam enim innotescere incipit, quanta sit efficacia gratiæ Spiritus sancti, & quantùm inter fragilitatē humanam, ac diuinam distet virtutem. Ecce qui paulò anteà vnius vilis mulierculæ voce conterritus, Christum primam summámque veritatem negauit, nunc inter tot millia præ cęteris Apostolis imperterrito ac tubali eloquio testimonium perhibet veritati. Iam enim in eo perfectus amor, seruilem

eiecit timorem. Ecce quàm authoritatiuè & securè affatur modò. Diuus Chrysostomus sic ait: Petrus omnium erat os, sed astabant illi vndecim testimonio suo comprobantes ea quæ ab illo dicebantur. Considerandа insuper est concordia Apostolorum, qui Petro cesserint concionandi ius. D. Chrys.

## ACTORVM II.

HIs autem auditis compuncti sunt corde [a], & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos; Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos [b]; Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.

a ECce effectũ prædicationis Petri, vt conuertantur peccatores, & baptizentur, agántque pœnitentiam. Insuper, remittantur illis peccata quantùm ad pœnam & culpam, quod fit per baptismum. *Item.* Dabatur illis per impositionẽ manuum Apostolorum, donum Spiritus sancti in signo visibili, hoc est, vt habetur in Historia Scholastica, vt loquerentur variis linguis sicuti Apostoli loquebantur. Hist. Schol.

b *Petrus autem ad illos*, &c Non enim accusauit illos Petrus, seueriter, sed attentauit quantùm possibile erat, etiam mansuetè defendere, & idcirco illorum animos perstrinxit, & cõpuncti fuerunt, & accepto libenter ab illo sermone eius, baptizati, & appositæ sunt die illo animę quasi tria millia.

## ACTORVM III.

PEtrus autem & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex vtero matris ſuæ baiulabatur, quē ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur ſpecioſa, vt peteret Eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidiſſet Petrum & Ioannē incipientes introïre in templum rogabat vt Eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit [a]. Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autē dixit [b]. Aurum & argentum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula [c]; & apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus cōſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templū, ambulans & exiliens, & laudans Deum.

D. Chryſ. a PRæcipuus exorditur. Vide (inquit D. Chryſoſtomus) quomodo Ioannes vbique tacet; Petrus verò etiam pro illo rationem reddit.

b *Aurum & argentum*, &c. Nolite quaſi diuites attolli, ſinè pecunia miſſit Apoſtolos ſuos, & Primus eorum dixit, Aurū & argentum non habeo. Satis diues ſum in nomine Ieſu, qui eſt ſuper omnia. Habeo quod diuites huius ſeculi non habent.

Ita loquitur D. Ambros. Epist. 82. Diuus autem Chrysostomus sic: Sanctissimus Petrus nihil sibi de facto, nihil de opere: nihil de virtute adscribit; sed totum illi assignat, per quem meruit quod impleuit. *D. Ambr.* *D. Chrys.*

c *Surge & ambula*, &c. Ecce adimpletum illud Esaiæ cap. 35. *Tunc saliet sicut ceruus claudus*. Quando autem claudis liber gressus restituitur, non tantùm ambulant, sed & saliunt ex animi lætitia, vt iste fecit, qui exiliens stetit. Ceruorum est saltare & transilire, vt sponsa de suo sponso dixit Cant. 2. Estque allusio ad etymologiam nominis claudi, quod Hebræis à saltando dicitur. *Esai. c. 35.*

---

## ACTORVM III.

Videns autem Petrus respondit ad populum. Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hũc ambulare? Deus Abrahã [a], & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidẽ tradidistis & negâstis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.

a Loquebatur Petrus Iudæis, & ideò conformat se modo loquendi Patrum veteris Testamenti.

---

## ACTORVM IV.

Factum est autem in crastinum, vt congregarent principes eorum, & seniores, & Scribæ in Hierusalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Cayphas, & Ioannes,

& Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali; & statuentes eos in medio interrogabāt; In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu[a] sancto Petrus dixit[b] ad eos. Principes populi, & seniores audite, si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notū sit omnibus vobis, & omni plebi Israël, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc ipse astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli; & non est in aliquo alio salus Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, &c.

a REpletus Spiritu sancto, &c. Non hîc fit sermo de Spiritu sancto quatenus sanctificat (iam enim illum habebat Petrus à die Pentecostes) sed de Spiritu sancto ministerij, qui cùm sit vnus idémque Spiritus, variis virtutibus, alios atque alios auget & amplificat ad ministeriū Ecclesiæ, sapientiæ, fortitudinis, & eloquentię solidę, quo Spiritu repletus est Petrus hoc tempore ad illud munus exsequendum.

b Quasi Princeps Apostolorum loquitur. Videte sapientiam huius viri (ait D. Chrysostomus) & quomodo cum magna libertate nihil contumeliosum loquitur, sed cum reuerētia dicit. *Principes populi*, &c Ecce adimpletum quod Christus dixerat successoribus suis, sed Discipulis. Lucæ 12. *Quando autem tradent vos in synagogas, ne soliciti sitis, quomodo vel quid loquamini, Spiritus enim Patris vestri est qui loquitur in vobis.* Animad-

D. Chrys.

Luc. c. 12.

uertite inſuper Petri conſtantiam, qui tanto nobilium & potentum agmine cinctus, ſtetit intrepidus, & ordinatè ac ſinè timore reſpondit. Dixit perbellè Salomon, Prouer. 28. *Iuſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit*, &c. Hoc eſt, vt exponit Rodolphus Bayno, Iuſtus agit inter homines ſicut leo inter feras, habens vbique ſummam confidentiam. Demum conſiderate, quòd Petrus iſtos confundit, primò, per opus diuinæ virtutis, cui nullatenus eſt reſiſtendum. Secundò, per ſacræ Scripturæ teſtimonia (ſicuti Magiſter ſuus Diabolum, Matth 4.) vt videre eſt in hoc capite. Cui Scripturæ contradicere non poterant, cùm apud eos eſſet autentica. Et hoc ad deſignandum, quòd prædicatores Eccleſiæ debent confutare (ſimiliter Doctores eius) impugnatores veritatis Catholicæ; primò, per opera virtuoſa quæ ſunt ex Dei gratia, ſecundò, per ſacram Scripturam diuinitus reuelatam. Hoc duplici modo confutâſſe legitur Beatus Pater noſter Dominicus in Albigenſium partibus hæreticos, & alios plures Doctores ſanctos ſimiliter feciſſe legimus, in aliis mundi partibus.

*Prou. 28.*
*Rodolphus Bayno.*

D. Pater Dominicus Scripturæ ſacræ teſtimoniis & virtutibus, prædicauit aduerſus Albigenſes.

## ACTORVM V.

VIr autem quidam, nomine Ananias [a], cum Sapphira vxore ſua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri conſcia vxore ſua, & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorũ poſuit; dixit autem Petrus [b] ad Ananiam. Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nónne manens, tibi manebat, & venundatum erat in tua poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed

Deo [c]. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & exspirauit [d]. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. Surgentes autem Iuuenes amouerunt eũ, & efferentes sepelierunt. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem Petrus; Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit; Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis tentari Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te, confestim cecidit ante pedes eius & exspirauit.

a SIcut in veteri Testamento quidam in principio lationis legis Mosaicæ; ob eius transgressionem dirè puniti leguntur, vt filij Aaron, qui combusti sunt eò quòd ignem alienum offerrent, Leuit. 10. Et alter qui ligna collegit Sabbato, quatenus præcipientis autoritas monstraretur; & alij ad obseruantiam diligentiorem inducerentur: pateréτque quàm salubre esset, legi obtemperare diuinæ; quam impium & damnabile non parere illi; ità & in Euangelica accidit lege, quandoquidem Euangelicæ legis derogantes sinceritati, terribiliter sunt plagati: quod in principio huius capitis exemplo ostenditur.

*Legi diuinæ obtemperãdum est.*

b *Dixit autem Petrus.* Exemplum alterius muneris clauium Ecclesiasticarum per Spiritum sanctũ expediti hoc in loco narrat Lucas, videlicet, cognitionem & discretionem spirituum. Loquitur autem Petrus, quasi Princeps Apostolorum.

c *Non es mentitus hominibus sed Deo,* &c. Ex hac autoritate probat Angelicus Doctor, D. Thomas, & Ecclesiæ lumen, in sua summa contra Gentiles, quod Spiritus sanctus sit Deus.

*D. Thom.*

d *Cecidit,*

d *Cecidit, & exspirauit*: Non Magica arte hoc fecit Petrus, vt acutissimè probat D. Pater Augustinus, in lib. de Ciuit. contra Porphyrium, qui hoc malè fingebat, sed ex Spiritu sancto loquutus est, & Angelo Dei transgressorem intùs cædente, extinctus est impius. Nec fuit hoc crudelitatis indicium, sed æquitatis, ad aliorum emendationem: sicut & vnum membrum abscinditur, ne totum corpus inficiatur. Sperarísque potest, quòd Petrus sua prece transgressori huic gratiam penitendi obtinuit, quem foris tam districtè correxit. In Scholastica historia habetur quòd iustorum societatem intrauit, vt necessaria vitæ haberet sinè labore; & sic aliunde malus & simulator fuisset. In Ananiæ & Sapphiræ culpa (ait venerabilis Beda) zelus vltionis ius aperuit potestatis. Insuper exemplum statuitur virtutis Euangelicæ: illius inquam virtutis & efficacitatis, quæ aliàs dicitur odor mortis in mortem. Excommunicationis autoritas admiranda atque horrenda comprobatur. Ità vniuersa Apostolorum praxis his duabus definitionibus concluditur, vitæ & mortis. *D. Augu\[st\].* *Hist. Schol.* *Ven. Beda.*

## ACTORVM V.

TVnc abiit Magistratus cum ministris, & adduxit illos sinè vi; timebant enim populum, ne lapidarētur. Et cùm adduxissent illos, statuerunt in Concilio, & interrogauit eos Princeps Sacerdotum dicens: Præcipiēdo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce replêstis Hierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respōdens autem Petrus[a], & Apostoli dixerunt. Obedire Deo oportet magis quàm hominibus.

a *Respondens autem Petrus*, &c. Quasi Princeps loquitur. Aliquibus videtur, inter quos vnus est Nicolaus de Lyra, quòd solus Petrus hæc verba protulerit, quibus prolatis alij annuerunt verbis & signis: nã aliàs ibi fuisset vocum confusio. Glossa autem & Historia Scholastica, asserunt, quòd Apostoli ex feruore moti, non fuerunt passi vnum pro omnibus loqui, & sic probabile est, quòd Petro responsionem inchoãte & prosequente, alij ex feruore & zelo aliqua verba miscebant, eadem affirmando. Sed certè meo videri, si ad tenorem litteræ attendamus; videtur significare quòd solus Petrus (tamquam Princeps & caput) fuerit loquutus. In hoc autem quod sequitur. *Et Apostoli dixerunt*; datur intelligi, quòd alij Apostoli vnanimiter responsum & dictum Petri approbauerunt tamquam suum.

*Ncol. Lyr.*

*Gloss. ord.*

*Hist. Schol.*

---

## ACTORVM IX.

SAulus autem adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini[a], accessit ad Principẽ Sacerdotum & petiit ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem. Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco, & subitò circumfulsit eum [b] lux de cœlo, & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi; Saule, Saule, quid me [c] persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? & ille: Ego sum Iesus [d] quem tu persequeris, durum est [e] tibi contra stimulum calcitrare. Et

tremens ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum; ſurge & ingredere ciuitatem, ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.

a IN *Diſcipulos Domini*, &c. Ecce adimpletum quod Dominus dixerat per os Ioannis cap. 16. loquens cum Diſcipulis ſuis. *Quia venit hora, quòd omnis qui occidit vos, arbitratur ſe obſequium præſtare Deo.* *Ioan. 16.*

b *Circumfulſit eum lux*, &c. De nullius ſalute deſperandum eſt, quandoquidem videmus Saulum lupum atrocem, factũ ouiũ pium paſtorem.

c *Quid me perſequeris?* &c. Perſecutiones poſt Reſurrectionem Chriſti, ſeruis ſuis à Saulo illatas, Chriſtus ipſe ſibi ipſi inferri teſtatus eſt. Appellabantur Diſcipuli tunc temporis, quos nos nunc Chriſtianos dicimus.

d *Ego ſum Ieſus*, &c. Nomen Ieſu inuiſum habebat Saulus: quem verò vetare non poterat in ſua perſona, in Diſcipulis vexare ſtudebat. Appellat Ieſus Diſcipulos ſuo nomine, vtpote ſui corporis membra: quorum ipſe caput eſſet.

e *Durum eſt tibi*, &c. Non mihi placet doctrina Reuerendiſſimi Domini Caietani, qui ſecutus Eraſmum, ait, non haberi in textu Græco hanc ſententiam: *Durum eſt tibi*, &c. Similiter neque ſequentem: *Et tremens ac ſtupens.* Primò, quia omnia Græca exemplaria typis excuſa, contrarium docent, vt in ipſis videre licet. Secundò, quia narrans ipſemet Paulus, Actorum 26. quid ſibi acciderit in itinere Damaſci; ſic ait: *Omnéſque nos cùm decidiſſemus in terram, audiui vocem loquentẽ mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Sic ad amuſſim quadrat narratio Lucæ cum narratione Pauli. Quòd ſi præteriiſſet hæc verba, non plenè narrâſſet verba Dei ad Paulum. *Sententia Caietani reiicitur.*

## ACTORVM IX.

FActum eſt autem, vt Petrus [a] dum tranſiret vniuerſos, deueniret ad Sanctos qui habitabant Liddæ.

a TAmquam bonus Paſtor diſcurrebat Petrus. Quemadmodum dux in exercitu obambulans conſiderabat (inquit D. Chryſoſtomus) quæ pars ſit coadunata, quæ ornata, quæ ſuo aduentu egeat. Vide illum vbique circumcurſare, & primum inueniri. Quando eligendus Apoſtolus, hic primus. Quando loquendum Iudæis, non Apoſtolos eſſe ebrios: quando curandus claudus, quando concionandū, hic præ aliis eſt. Quando agendum contra principes, quando contra Ananiam, quando ab vmbra ſanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum, hîc, & vbi moderatio. Vbi autem tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem. *Iterum.* Quando fieri miracula opus erat, ipſe proſilit. Et hic iterum ipſe pro ſe laborat, ac iter facit.

D. Chryſo.

## ACTORVM X.

POſtera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, aſcendit Petrus in [a] ſuperiora, vt oraret circa horam [b] ſextam; & cum eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus. Et vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut [c] linteum magnum; quatuor initiis [d] ſub-

mitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia[c], & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge[f] Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus; Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune &[g] immundum. Et vox iterum ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc factum eſt per ter, & ſtatim receptum eſt vas in cœlum.

a *Ascendit Petrus in ſuperiora*, &c. Ego ſtatim (inquit D. Cyril. Alexand.) & hoc ipſum quod noluit in inferioribus orare, ſed aſcendit ad ſuperiora, non fruſtra dici accipio. Neque enim tanti Apoſtoli conſilium ex ſuperfluo ſuperiora delegit ad orandum: ſed quantùm ego arbitror, vt oſtenderetur, quòd Petrus, quia mortuus erat cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærebat: vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, & non quæ ſuper terram. Illuc aſcendebat ad illa tecta, ad illa faſtigia, de quibus dicit & Dominus. *Qui in tecto eſt non deſcendat tollere aliquid de domo.* Hoc quidē ſignificat quod ſequitur, *Vidit enim cœlum apertum.* Declarans ſe non ſolùm corpore, ſed & mente ac ſpiritu conſcendiſſe. De Eccleſia à Spiritu ſancto ædificata intelligunt doctiſſimi Patres, D. Ambroſius & Beda, hæc omnia. *Aſcendit Petrus in ſuperiora*, vt ſignificaret (aiunt ipſi) Eccleſiam relictis terrenis cupiditatibus, cōuerſationem in cœlis habituram.

*D. Cyril. Alexand.* *Matt. 24.* *D. Ambr. l. 2. de Spiritu ſancto, c. 11.*

b *Circa horam ſextam*, &c. Sexta hora Petrus inter medias preces eſurit, ſalutem vtique mundi quem Dominus ſexta ætate ſeculi quærere & ſaluare venerat. Quod & ipſe voluit indicare, cùm eadem hora diei ſuper Samaritanæ puteum ſitiebat.

*Ven. Beda in Act. Apoſt.* *Ioan. c. 4.*

c *Deſcendens vas quoddam*, &c. Vas illud Eccleſiam ſignificat incorruptibili fide præditam; *Linteum*, enim tinea non conſumit, quæ veſtes alias corrumpit. Et ideò qui vult ad myſterium Eccleſiæ Catholicæ pertinere, excludat de corde ſuo

corruptionem malarum cogitationum, & ita incorruptibiliter firmetur in fide: vt prauis cogitationibus tamquam à tineis non rodatur in mente.

d *Quatuor initiis submitti, &c.* Quatuor plagas orbis terrarum designant, quibus extenditur Ecclesia. Ipsa est enim ciuitas Dei nostri in monte sancto eius: dilatans exultationes vniuersæ terræ. Quòd enim de cœlo sumitur, indicat eã sola superuenientis Spiritus sancti gratia seruari pariter atque augeri. Vnde dicit in li. Apocal. B. Ioannes. *Vdi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam, descendentem de cœlo à Deo*, &c.

*Apocalip.*

e *In quo erant omnia quadrupedia*, &c. Animalia illa, omnes gẽtes sunt erroribus immundæ, sed trina submersione, id est, mysterio sanctæ Trinitatis in baptismo mundatæ, quæ hominis imaginem reliquentes, bestiarum ac serpentium sumpsere figuras. Vnde ad Herodem propter dolosam malitiam dicitur. *Dicite vulpi illi.* Ad Phariseos. *Genimina viperarum.* Et ad libidinosos. *Equi insanientes in fœminas facti sunt.* De impudentibus. *Nolite sanctum dare canibus.* De voluptuosis. *Neque mittatis margaritas ante porcos.* De superbis ac dolosis. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos.* Ac demum de omnibus in communi. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis.*

f *Surge Petre,* &c. Hoc est, ad euangelizandum præparare. Occide in gentibus quod fuerant, & fac quod es. Qui enim manducat cibum foris positum, in suum corpus traiicit: præcipit ergo vt nationes per incredulitatem antè foris positæ, interfecta præterita vita, societati Ecclesiæ, quam Petrus significat, inserantur.

g *Nunquam manducaui immundum,* &c. De mundis hìc & immundis ratio est (ait D. Cyril. Alex. in Leuiticum) de quibus rerum scientiam cælitus docetur Apostolus: quoniam quidẽ eminentiorem se & maiorem non habebat in terris.

*D. Cyrill. Alex.*

# *ACTORVM XII.*

EOdem autem tempore misit Herodes Rex manus vt [a] affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cũ apprehendisset, misit in carcerem, tradénsque quatuor quaternionibus militum ad custodiẽdum eum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere, oratio autem fiebat [b] sinè intermissione ab Ecclesia ad Deum pro èo, &c.

a MIsit Herodes Rex manus vt affligeret*, &c. Sicut bestia absque omni ratione ( inquit D. Chrysostomus) omnes inuadit. Hoc est quod Christus dicebat Discipulis suis, *Marci* 10. *Poculum quod bibiturus sum, bibetis: & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini.* *Marc.10.*

b *Oratio autem fiebat.* Magni amoris indicium Oratio (ait D. Chrysostomus) Patrem omnes quærebant, Patrem mansuetũ: *D.Chrysost.* Et continuò oratio, vt Christus suum Vicarium custodiret in vita, & adhuc seruaret. Videte quomodò affecti erant erga præceptorem. Non comminantur; non tumultuati sunt, sed ad preces conuersi, præsidium reuera inexpugnabile, ad illud cõfugiebant. Erat enim necessarius Ecclesię multùm, tamquam Princeps Apostolorum, & eminentior in operibus miraculorum (ait Dionysius Cartusianus) & ideò pro illo orant. *Dion. Cart.*

Oratio præsidium inexpugnabile.

# ACTORVM XV.

SVrrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes. Quia oportuit circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi. Conuenerúntque Apostoli & seniores populi, videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens [a] Petrus dixit ad eos. Viri fratres, vos scitis quoniã ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire [b] gentes verbum Euangelij, & credere: & qui nouit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum? Imponere iugum super ceruices Discipulorũ, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.

a *Surgens Petrus*, &c. Surgere frequenter dicitur, & præ omnibus quasi princeps loquitur. Propter reuerentiam tam venerandi ac sancti conuentus (inquit Dionysius Cartusianus) præsertim Iacobi Apostoli atque Episcopi, ibi tunc præsidentis. *Et Item*, vt melius inter tot audiretur, surrexit Archiapostolus: in quo & humilitatis reliquit exemplum. *Dion. Cart.*

b *Elegit per os meum audire gentes*, &c. Non alterius ex Apostolis (ait Rabanus) hoc est, qui primus prædicaui gentibus: primus ab eis iugum legis excutiam. *Insuper*, voluit vt nos ipsi Apostoli *Rabanus.*

ſtoli primi omniũ hanc prouinciam ſubiremus; atque inter nos, me primum ad hanc rem delegauit.

## *ACTORVM XVI.*

CVm autem Paulus & Barnabas pertrãſirent ciuitates [a], tradebãt eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis.

a HIc reſumitur prædicatio Apoſtolorum ad confirmandum credentes: qui, tamquam principaliſſimi, cæteris certa documenta ſeruanda ſanxerunt, ac inſinuauerunt. Illa ſcilicet pertinentia ad ſeptem præcepta filiorum Noë, in Hieroſolymitano Concilio expoſita ac deſcripta, ad omniũ Diſcipulorũ qui ex gentibus conuertentur, diſciplinã.

## *I. AD CORINTHIOS, 1. Cap.*

SIgnificatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, ab his qui ſunt Cloës, quia contentiones [a] ſunt inter vos. Hoc autem dico, quòd vnuſquiſque dicit: Ego quidẽ ſum Pauli, Ego autem Apollo: Ego verò Cephæ [b]. Ego autem [c] Chriſti.

a ERat enim diſſenſio inter Corinthios propter Baptiſtas & Doctores: quia baptizati ab vno Apoſtolo, præferebant ſe baptizatis ab alio: quaſi baptiſmus haberet efficaciam à miniſtro. Aliqui etiam doctrinam Philoſophorũ verbis ornatam, reputabant magis efficacem doctrina Apo-

ſtolorum talibus carente. Hoc erat de quo gloriabantur pſeudo Apoſtoli, ſecundùm illud Pſalmi 48. *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.*

*Pſ. 48.*

b *Cephæ.* Id eſt Petri, cui dictum eſt Ioannis 1. cap. *Tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur Petrus. In figura Chriſtiani populi, à petra Chriſto. Petrus enim, à petra dicitur quam confeſſus eſt, & ſuper hanc petram, &c. id eſt, ſuper Chriſtum, & non ſuper ſe. Non enim dicuntur Petri, ſed Chriſti, ne eſſet ſpes in homine: & ne eſſent tot baptiſmi, quot ſerui. Miniſterium baptizandi dedit ſuis ſeruis Chriſtus; poteſtatem autem retinuit ſibi, quam ſi vellet poterat ſuis ſeruis dare; vt tanta vis eſſet in baptiſmo ſerui, quantam vim habet baptiſmus à Domino datus. Et ideò non differt ſiue bonus, ſiue malus, cui contingit miniſterium baptizandi, baptizet.

c *Ego autem Chriſti*, &c. Qui ſolus benedixit, quia ſolius Chriſti virtus operatur in baptiſmo Chriſti, Ioannis 1. cap. *Super quem videris Spiritum deſcendere & manere, ipſe eſt qui baptizat.* Et ideò baptizati, à ſolo Chriſto denominantur Chriſtiani: non autem à Paulo Paulini. *Tantummodò inuocetur* (ait Eſaias cap. 4.) *nomen tuum ſuper nos*, &c.

*Ioan. c. 1.*

*Eſai. c. 4.*

---

## 1. AD CORINTHIOS, 3. Cap.

NEmo itaque glorietur in hominibus: omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas [a], ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.

a CEphas. Id eſt Petrus, qui eſt vniuerſalis Paſtor ouium Chriſti, vt dicitur Ioannis vltimo; & maior omnium.

## 1. *AD CORINTHIOS, 9. Cap.*

NVnquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid nõ habemus potestatem mulierculã sororem circumducendi, sicut cæteri Apostoli & fratres Domini, & [a] Cephas?

a ET *Cephas.* Permisit Dominus (inquit D. Augustinus) nõ iussit Apostolis accipere necessaria à subditis, & sic Petrus, qui maximus est inter Apostolos, imò & caput vt hoc nomen, Cephas, significat, sumptus non refutabat oblatos à fœminis (sicut nec Dominus refutauerat) vt non indigerent his quæ ad necessitatem vitæ huius pertinent. *D. Aug.*

## I. *AD CORINTHIOS 9. Cap.*

NOtum autem facio fratres Euangelium quod prædicaui vobis, &c. Tradidi enim vobis imprimis, quod & accepi, quoniã Christus mortuus est pro peccatis nostris, &c. Et quia visus est [a] Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est plusquàm quingentis fratribus [b] simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierũt. Deinde visus est Iacobo: Deinde Apostolis omnibus. Nouissimè autem omnium tãquam abortiuo visus est & mihi.

a VIsus est Cephæ, &c. Id est, Petro, sicuti dicitur Lucæ vltimo. *Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.* Et credi-

D. Thom. tur (inquit Angelicus Doctor) quòd inter viros primò apparuit Petro, quia in maxima tristitia erat, significauitque hoc
Marc. 16. Angelus, dum Marci vltimo dixit. *Ite, dicite Discipulis eius, & Petro*, &c.

b *Visus est plusquàm quingentis*, &c. Apparitiones Christi non sunt factæ omnibus communiter, sed aliquibus specialibus
Actor. 10. personis. Actorum 10. *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.* Ratio est, quia seruandus erat ordo in Ecclesia, vt per quosdam speciales, fides Resurrectionis deueniret ad alios. *Item.* Nec ponuntur hîc omnes à Christo factę, nec quæ factæ sunt mulieribus, sed quædam quæ non leguntur in Euangeliis, quia volebat Apostolus confutare infideles; propter quod solùm posuit testimonia authentica: demonstrans similiter quomodò apparuit aliis, faciens specialem mentionem de Petro & Iacobo, qui erant quasi columnæ, vt dicitur ad Galatas, cap. 2.

## *AD GALATAS, 1. Cap.*

DEinde post annos tres veni Hierosolymam [a] videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.

a DEsiderabat Apostolus summopere videre Petrum: nō vt disceret ab eo (iam enim erat à Christo instructus) sed vt videret & visitaret illum, compulsus ad hoc ex affectu charitatis. Mãsit autem apud Petrum per aliquot dies, conferens cum eo (quia omnium maior) de mysteriis vtriusque Testamenti. Et ne videretur, quòd, licèt non fuisset instructus à Petro, fuisset ab aliis, fatetur se neminem aliorum Apostolorum vidisse, à quo instrueretur.

## AD GALATAS, 2. Cap.

DEinde post annos quatuordecim iterum ascendi[a] Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secūdum reuelationem [b], & contuli cum illis Euāgelium quod prædico in gētibus. Seorsum autem iis[c], qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.

a ASCendit velut ad maiorē, (inquit D. Chrysostomus) ac seniorem, solúsque Petri conspectus commouit illum, vt eò proficisceretur. D. Chrys.

b *Secundùm reuelationem*, &c. Prioris ascensionis caussam Petrum fuisse ait, vtque illum videret; vt autem iterum ascenderet, in caussa fuisse reuelationem Spiritus.

c *Seorsum autem iis.* Non cum omnibus contulit Euangelium, sed cum his qui erant inter alios alicuius autoritatis & momēti, scilicet cum Petro, & aliis magnis. Fecit enim quæ Ecclesiasticus docet, cap. 9. *Cum sapientibus & prudentibus tracta.* Eccl. c. 9.

## I. PETRI, 5. Cap.

SEniores ergo qui in vobis sunt obsecro[a], cōsenior, & Christi passionum testis, qui & eius, quæ in futuro reuelāda est gloriæ[b] communicator, pascite[c] qui in vobis est gregē Dei, prouidentes, non coactè, sed spōtaneè secundū Deum, neque turpis lucri gratia, sed volūtariè, neque vt dominantes[d] in cleris, sed forma facti

gregis ex animo. Et cùm apparuerit e princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

a POstquàm Beatus Petrus informauit fideles generaliter, & nonnullos alios specialiter, hic ponit informationes aliquas propter eos qui in statu Pastorali existunt.

b *Communicator*, &c. Id est, annunciator seu prædicator felicitatis ac gloriæ sempiternæ, in futuro sęculo electis propalandæ & dandæ: quam instrumentaliter vobis communico, adeptionem vocis cooperando meis prædicationibus, orationibus, meritis, & exemplis.

c *Pascite*, &c. Sicut Dominus Petro totius gregis curam habere iussit, ità Petrus sequentibus Ecclesię Pastoribus iure mandat, vt eum quisque qui secum est gregem Dei sollicita gubernatione tuetur Non solùm hoc, verumetiam vt vnusquisque plebem sibi commissam diligenter spiritualibus alimoniis nutriat; vtpote, sapientia, scientia, virtutum exemplis, fama laudabili, oratione assidua, & Ecclesiasticis Sacramentis. *Præterea*. Dulce fuit in ore Petri sanctissimi, verbum hoc, *Pascite*, quoniam dixerat ei Christus. *Pasce agnos meos*, & sicut Christus prę fecit Petrum vniuersali Ecclesię & populo vniuerso: sic Petrus fuit sollicitus pro totius salute Ecclesiæ: hortando tum inferiores, tum prælatos, vt vnusquisque dignè exsequeretur suum officium.

Quilibet pastor, suas oues diligenter nutrire debet spiritualibus, alimoniis.

d *Neque vt dominantes, &c.* Hoc prohibuit Christus Dominus, Agnus mansuetus, Pastórque mitissimus, in cœna nouissima; quia cùm inter Discipulos esset contentio, *Quis eorum videretur esse maior*, respondit Saluator; *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui pręcessor est, sicut ministrator*. Hoc etiam habetur in Ecclesiastico. *Rectorem te posuerunt? nolli extolli*. Vide D. Bernardũ in lib. de Consideratione, multa perquàm doctè dicentem de hac re.

Eccl. 32.

e *Cum apparuerit Princeps Pastorum*, &c. Id est, Christus Deus

noster, qui est Princeps supremus pastorum, & principalis. Romanus verò Pontifex est princeps Pastorum, & totius vniuersalis militantis Ecclesiæ Prælatus ac præsul Vicarialis.

## *II. PETRI, 1. Cap.*

PRopter quod incipiam vos semper commonere [a] de his; & quidem sciẽtes & cõfirmatos vos in præsenti veritate. Iustum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione [b]: certus quòd velox est depositio [c] tabernaculi mei, secundùm quod Dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum omnium memoriam faciatis. Non enim indoctas fabulas [d] secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem; & præscientiam; sed speculatores facti illius magnitudinis.

a *COmmonere*, &c. Cura pastoralis mouere debet pastorem ad informandum subditos in bono, & confirmandum; maximè quando obitum suum scit esse propinquum; sic erat in Petro Pastore fidelium. Et licèt beatissimus Petrus corporaliter præsens non fuerit eis, quibus hæc scripsit; tamen per hæc sua scripta, & per discipulos suos, assiduè eos de his adimplendis àdmonuit.

b *In commonitione*, &c. Nec cessabat per exhortationem eos prouocare ad opera virtuosa. Ad hoc quippe electissimus Petrus ratione pastoralis tenebatur officij. Et quia Christus præ-

Ioan.c. 21. Luc.c. 22. D. Clemẽs.

ceperat ei. *Pasce oues meas*, Et alibi. *Tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*. Quod etiã ex feruidissima dilectione strenuissimè adimpleuit. Erat enim, vt testatur sanctus Clemens, immensa charitate repletus, &c.

Petrus immensa charitate repletus.

c *Depositio tabernaculi*, &c. Pulcherrimè sanctissimus Petrus obitum suum, non mortem, sed depositionem tabernaculi sui dicit, quoniam sic est perfectis Dei famulis mortalẽ carnem exuere, sicut viatoribus, completo itinere, propriã domum pro tabernaculi habitatione adire, & sicut bellatoribus hoste prostrato, ad patriam regredi, quia non nisi in cœlis, reputant sibi esse domum ac patriam.

Iulian. Pom. l. 3. cont. Iudę. D. Hieron. ad Damas. PP. & habetur 24. qu. 1. cap. quoniam vetus.

d *Non enim indoctas fabulas*, &c. Petrus ipse Discipulorũ omnium primus, (ait sapientissimus Iulianus Pomerius) nullis calculationum obicibus prædicationem suam obnoxiã cernens, inquit. *Notam facimus vobis*. Diuus Pater Hieronymus ita effatur. Ego nullum præmium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. *Et infra*. Quicũque tecum non colligit, spargit. Hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Vbi Doctissimus Pater pro eodem computat Christum & Papam quantùm ad ea quæ sunt fidei: de his enim loquitur vt videre est in Epistola quarta. Et ego de illis similiter (altiori tamen sensu) intelligo omnia quę à me dicta sunt in his diuinæ Scripturæ locis, & quæ in sequentibus tam sacrorum Conciliorum, quàm Sanctorum Patrum dicturus sum.

# LOCA EX LIBRIS
## SACRORVM CONCILIORVM
excerpta, D. Petri Apostolorum Principis, ac Pontificum Romanorum eius successorum indicantia primatum.

## *LIBER SECVNDVS.*

*Ex Epistola Sancti Clementis, huius nominis Papæ I. & Martyris, Petrique successoris, qui Cathedram tenuit à Christi Natiuitate, anno circiter LXXII. ad Jacobum fratrem Domini.* Tomo I. Concil.

Petrvs fundamētū Ecclesiæ, & Apostolorū primus, cui Deus primo reuelauit filium.

NOtvm tibi facio, Domine, quia Simon Petrus, qui veræ fidei merito, & integræ prędicationis obtentu fundamentum esse Ecclesiæ definitus est, qua de caussa etiam Domini ore cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, & Apostolorum primus, cui & primo

M

Devs Pater Filium reuelauit, cui & Christus cõpetenter beatitudinem contulit, qui & vocatus est, & electus, & conuiua Domini, & comes effectus, tamquam bonus & probatissimus Discipulus, qui obscuriorem mundi plagam Occidentis (velut omnium potentior) illuminare preceptus est, quísque & integrè potuit implere præceptum: sed quoüsque sermonem protraham, refugiens indicare quod triste est, quod quidem necesse est, licèt tardè, proferre? Hic denique ipse Petrus, qui pro immensa charitate, quam erga omnes homines gerebat, palàm cum omni fiducia (aduersante etiam tyranno totius mundi) bonum prædicare non destitit, & regem omnium seculorum per orbem terræ, & vsque ad ipsius Romanæ vrbis huius notitiam, vt etiam ipsa saluaretur, inuexit. Hic, inquam, pro pietate pati volens, præsentem vitam finiuit. In ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum positus, apprehensa manu mea, repente consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba. Audite me, fratres, & conserui mei, quoniam, vt edoctus sum ab eo, qui misit me, Domino & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ Cathedram credo. Qui mihi ab initio vsque in finem comes in omnibus fuit, & per hoc virtutem totius meæ prædicationis agnouit. Qui in omnibus tentationibus meis socius extitit, fideliter perseuerans. Quem ex præteritis expertus sum Deum colentem,

Petri charitas erga homines, maxima fuit.

Prædicit Petrus mortẽ suã, & successorẽ Clementem instituit.

Quales debeant esse Pontifices summi, hîc describitur.

homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, & scientem ferre nonnullorum (etiam ex his qui in verbo Dei instituuntur) iniurias. Propter quod ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligãdi & soluendi, vt de omnibus quibuscumque decreuerit in terris, hoc decretum sit & in cœlis.

*In Decret. Iuonis lib. 5.*

FVit CLEMENS natione Romanus, temporibus Galbæ & Vespasiani; multos libros zelo fidei & Christianæ religionis conscripsit, martyrióque coronatus est. Gesta Martyrum solicitè & curiosè fecit perquirere per septem regiones. Suscepit Ecclesię Pontificatum gubernandum ex præcepto B. Petri. Multa ordinauit, obiítque martyr anno Traiani tertio. Qui etiam sepultus est in Græcia nono Kalendas Decembres. Ex lib. Pontificali Damasi Papæ, & ex Leone Papa, Eusebio Cæsar. Ecclesiasticæ, histor. lib. 3. c. 14. & 34 & ex Marian. Scot. cum aliis. Magister Ciaconius vir sapientissimus nostri Ordinis, multò aliter sentit, in libro de vitis Pontificum, eligat Lector quod magis placuerit.

## *EX EPISTOLA SANCTI Anacleti Papæ successoris dicti sancti Clementis, ad Episcopos Italiæ, sedentis in Cathedra anno à Natiuitate Domini* 93. Tom. I. Concil.

*A Petro incœpit post Christum, Sacerdotalis Ordo.*

*Petrus primus omniũ potestatẽ accepit ligãdi atq; soluendi, à Domino.*

IN nouo Testamento, post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo Põtificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum: *Tu es* (inquit) *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cælorum.* Hic ergo

*Mat. 16.*

ligandi atque ſoluendi poteſtatem primus accepit à Domino, primúſque ad populum virtute ſuæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt, ipſúmque principem eorum eſſe voluerunt. Qui etiam, iubente Domino, in toto orbe diſperſi Euangelium prædicauerunt, ipſis quoque decedentibus, in locum eorum ſucceſſerunt Epiſcopi, quorũ ordinatio prætacto fieri debet ordine & modo; quos qui recipit & verba eorum, Deum recipit: qui autem eos ſpernit, eum à quo miſſi ſunt, & cuius funguntur legatione, ſpernit, & ipſe indubitanter ſpernetur à Domino.

Epiſcopi, loco Apoſtolorum ſucceſſerunt; qui ipſos ſpernit, & Deũ ſpernit.

*Luca c. 10.*

ANACLETVS fuit natione Græcus, temporibus Domitiani, à Conſulatu Domitiani decimo, & Sabini, vſque ad Domitianũ decimo ſeptimo, & Clementem Conſules. Conſtruxit memoriam B. Petri & compoſuit. Sepultus eſt in pace iuxta corpus B. Petri 3. Idus Iulij. Ex lib. Damaſ. Papæ. Fuit vir integer, excellentíque præditus ingenio, & ad Pontificatum à Deo vocatus. Ita Ciaconius Ordin. Prædicatorum vir eruditiſſimus. De vitis Pontificium.

## *EX EPISTOLA III. EIVSDEM, omnibus Epiſcopis, ac reliquis Chriſti Sacerdotibus.*

HÆc verò ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato Petro Apoſtolo dixit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam*

Eccleſia Romana, à Domino Ieſu Chriſto primatum obtinuit inter alias Eccleſias.

*Diſtin. 22. ſacroſan. Roma. & in Decret. Iuon. lib. 4. Matth. 16.*

*meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Adhibita est etiam societas in eadem Romana vrbe Beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui vno die, vnóque tempore, gloriosa morte cum Petro, sub principe Nerone agonizans, coronatus est; & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrârunt, aliísque omnibus vrbibus in vniuerso mundo, eam sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt.

Passio BB. Petri, & Pauli vno tempore, ac die facta.

## *EX EPISTOLA LVCII PAPÆ & Martyris, sedentis anno à Christi Natiuitate 261. ad Galliæ Hispaniæque Episcopos.* Tom. I. Conciliorum.

HÆc est Apostolorum viua traditio, hæc vera charitas, quæ prædicanda est, & præcipuè diligenda ac fouenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda. Hæc sancta & Apostolica, mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nũquam errâsse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed, vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab autoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus manet, secundùm ipsius Do-

*24. q. 1. A recta rég. & in Decre. Felic. Pap. 2.*

Ecclesia Dei Mater omnium Ecclesiarum, numquam errâsse probatur.

mini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est Euangeliis; *Petre* (inquiens) *ecce Satanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum, Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra excellens prudentia, quàm bonum sit persistere in dispensatione vobis credita, & in fide recta, atque hæreticis & æmulis CHRISTI repugnare, & nunquam à veritatis tramite declinare; quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitauit, & proprio nos suo redemit sanguine, fidem beati Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.

Luc. 22.

Fidem Petri nūquā defecturā promisit Christus.

LVCIVS natione Romanus, sedit ann. 3. mens. 3. dies 3. martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Galli & Volusiani, in exsilio fuit hic relegatus, postmodùm verò nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reuertitur. Truncato capite à Valeriano sepelitur in cœmeterio Calixti, via Appia, 4. Nonas Martij. Decreta huius Pontificis apud Gratianum reperiuntur simul collecta. Inter alia decreuit, raptores, occupatores, & dissipatores bonorum Ecclesiæ, atque eiusdem facultatū alienatores, à limitibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizatos, pellendos, & sacrilegos iudicandos, 12.q. 1. Qui abstulit.

Præcessit martyrium B. Lucij Papæ, pestis & dira fames, ac detestabilis, quę per totum orbem grassata, tam & Christianos, quàm Ethnicos multos absumpsit. Ita Pontius in vita S. Cypriani apud Ciaconium. Eadem prorsus verba dicit Felix Papa primus in 3. sua Epistola ad Benignum Episcopum.

## *EX I. EPISTOLA SANCTI Marcelli Papæ, sedentis anno à Christi Natiuitate 319. ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ.* Tom. I. Concil.

Nihil aliud sentiendũ est quàm quod à B. Petro Apostolo, & reliquis accepimus.

ROgamus ergo vos, fratres, vt non aliud doceatis neque sentiatis, quàm quod à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis & Patribus accepistis. Ab illo enim primò instructi estis, ideò non oportet vos propriũ derelinquere Patrem, & alios sequi. Ipse enim caput est totius Ecclesię, cui ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et reliqua. *Mat. 16.* Eius enim sedes primitùs apud vos fuit, quæ posteà (iubente Domino) Romam translata est, cui (adminiculante gratia diuina) hodierna pręsidemus die. Nec ab eius dispositione vos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia (diuina disponente gratia) iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur à qua sumpsere principia. Si vestra verò Antiochena, quę olim prima erat, Romanæ cessit Sedi, nulla est quæ eius non subiecta sit ditioni, ad quam omnes, quasi ad caput, iuxta Apostolorum eorúmque successorum sanctiones, Episcopi qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, suffugere, eámque appellare debent, vt inde accipiant tuitionẽ & liberationem, vnde acceperunt informationem atque consecrationem.

Ad Romanã Ecclesiã cuncta negotia aliarũ Ecclesiarum debent referri.

Antiochena Ecclesia olim prima erat, nunc Romanæ cessit Sedi.

MARCELLVS natione Romanus, ſedit annis quinque, menſibus ſex, dies 21. Fuit autem temporibus Conſtantij & Galerij, comprehenſus à Maxentio vt negaret ſe eſſe Epiſcopum, & ſacrificiis ſe humiliaret Dæmoniorum, ſemper contemnens & deridens dicta & præcepta Maxentij, damnatus eſt vt cæderetur fuſtibus, deinde vt in catabulo maneret. Vbi cilicio amictus defunctus eſt, & ſepultus in cœmeterio Priſcillæ via Salaria 17. Kal. Februarij. Ex lib. Pontif. Damaſ. & ex Marian. Scot. De S. Marcello officium inſtituit S. Gregorius Pontifex Maximus, & Gregorius 7. diem natalis eius celebrari decreuit: ita in Micrologo cap. 34.

*In micr11olog.*

## *EX EPISTOLA ÆGYPTIORUM Episcoporum, ad Marcum Papam, ſedentem anno à Chriſti Natiuitate 348. pro exemplaribus Nicæni Concilij, quia Arriani eorum exemplaria incenderant.* To. I. Conc.

DOmino ſancto & Apoſtolici culminis venerando, Marco ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius & vniuerſi Ægyptiorum Epiſcopi. Ad vos perueniſſe non dubitamus, quanta & qualia ab Hæreticis, & maximè ab Arrianis quotidie patimur, quoniam in tantum ab eis perſequimur, vt etiam viuere iam nos tędeat. Nam inſtanti tempore, ſubito & inſperatè in nos irruentes, nóſque iuxtà Domini pręceptum, qui ait; *Si vos perſecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam,* fugiendo propter clamorem populi eos declinantis, nos comprehendere non valuerunt, ſed omnia depopulati ſunt, &c. *Item poſt pauca.* Nunc ergo quia (vt pręd ictum eſt) ab inimicis ſanctæ Dei Eccleſię, &

*Matt. 10.*

& maximè ab Arrianis, à quibus quotidie expugnamur, conterimur & opprimimur, præfata septuaginta Nicæni Concilij capitula, quę deprę fata Synodo, iam fato iubente Dño meo ALEXANDRO, decreto omnium Episcoporum attuli, quæ etiam coram omnibus recitaui atque transcripsi, sunt igne combusta: optamus, vt à vestrę sanctę Sedis autoritate, quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum, ea, ad correctionem & recreationem fidelium Orthodoxorum, percipere per pręsentes Legatos mereamur, quatenus vestra fulti autoritate, vestrîsque precibus roborati, illęsi à memoratis æmulis sanctę Dei Ecclesiæ & nostris, euadere, nobísque commissos eruere valeamus. Verè nouimus, Apostolatus vestri cor gratia sancti Spiritus in tantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis: quantò magis nobis, qui licèt exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobísque obedientes, cum omnibus nobis commissis, & sumus, & semper esse volumus.

Sedes Apostolica, mater & caput est omnium Ecclesiarum.

MARCVS natione Romanus, sedit Annos duos, Menses 8. dies 21. Fuit autem temporibus Constantini Augusti, & Nepotiani ac Secundi Consulum. Multa ordinauit & fecit, vt videre est in Pontificali libro Damasi Papæ, & apud Marianum Scotum. Sepultus est in cœmeterio Balbinæ, ipso constituente facto, pridie Nonas Octobris. Iste instituit inter alia, vt Symbolũ Nicænum à Clero, & populo magna voce decantaretur post Euangelium, eo modo quo fuerat in eodem Concilio Nicæno declaratum, quod vsque hodie diligenter & religiosè seruatur. Ita Optatus Mileuitanus, Augustinus, Rufinus, Sozomenus, & Nicephorus; in Chronico.

*Optat. lib. 2. contra Parmen. August. Epist. 165. ad Generosum. Rufinus lib. 2. c. 22. Sozom. l. 2. c. 19.*

# EX DECRETIS NICÆNI Concilij, in Epistola Iulij Papæ I. sedentis anno à Natiuitate Christi 348. Tomo I. Concil.

*1.q.6.Omnes Episcopi.*

VT omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur caussis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur & liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas caussas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum eorúmque successorum atque Canonum autoritas reseruauit. Quoniam culpātur Episcopi qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit.

Appellare ad Sedem Apostolicam cuilibet licet.

---

## EX EISDEM DECRETIS.

*3. qu. 6. Accusatus.*

PLacuit vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua caussa Episcopus, licenter appellet & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos, eius retractari negotiū procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex caussam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus; quoniam quamquam à compro-

Accusatus Episcopus, non debet definiri eius caussa inconsulto Romano Pontifice.

uincialibus Episcopis accusati caussam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est; cùm Beato Petro Apostolo, & non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino, *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Matt. 16.

## EX EISDEM DECRETIS.

SI quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud primatem diœceseos, aut penès vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam iudicetur. 2. q. 6. si quis put.

IVLIVS natione Romanus sedit annis 15. menses duos, dies 18. Fuit autem tempore Constantij hæretici filij Constantini, à Consulatu Feliciani & Maximini. Fuit in exsilio mensibus 10. post multas tribulationes, & post mortem Constantij reuersus est ad Sedem B. Petri, maxima cum gloria, multa ordinauit sepultúsque est in cœmeter. Calepodij, pridie idus April. Hæc Damasus.

## EX EPISTOLA ATHANASII ac Ægyptiorum Episcoporum ad PP. Liberium, sedentem anno à Christi Natiuitate 365. de oppressionibus Arrianorum. Tom. I. Concil.

Summi Põtifices, omnibus debent opem ferre.

HVius rei gratia, vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre nõ negligatis: *Quia dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Luca 11. Ideóque, tãta vrgente necessitate, summopere comprimite vestræ

summæ authoritati infestos, releuate oppressos, vt absque graui, Domino opitulante, difficultate ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur illæsi. *Et subscriptio*: Æterna te seruet Diuinitas per multos annos, sanctissime Patrum Pater, Amen.

LIBERIVS natione Romanus, sedit annis 6. mens. 3. diebus 4. Fuit autē tempore Constantij filij Constantini, vsque ad Constantium Augustum octauum. Fuit in exsilio annos 3. eò quòd noluerit hæresi Arrianæ consentire. Posteà verò reuocatus ab exsilio, fuit persecutio magna in clero in eius tempore, ipse verò sepultus est via Salaria in cœmeterio Priscillæ 7. idus Septembris, octauo Kal Maij. Ità Damas. in lib. Pontif. Iste Liberius, Basilicam insignem in honorem B. Mariæ Virginis Matris Domini condidit in monte Exquilino, iuxta aggeres Tarquinij, ad macellum libiæ ex collatis impensis Ioannis Patricij, in eiusdem Basilicæ erectionem ea de re per visum admoniti, & miraculo confirmati descendentibus niuibus, Nonis Augusti, formam templi monstrantibus, ex quo Liberius, visionis conscius & particeps, ligone accepto, Basilicam descripsit, Ioanne Patricio sumptus liberaliter ministrante. Liberius laudatur ab Ambrosio, lib. 3. de virginit. à Basilio Epistol. 74. Ab Epiphanio hæresi 75. & ab Hilario aduersus Constantium.

## *EX EPISTOLA EIVSDEM Athanasii & omnium Ægyptiorum Episcoporum ad S. Felicem PP. II. & Martyrem, sedentem anno à Natiuitate Christi* 372. Tom. I. Conciliorum.

DOmino beatissimo & honorabili, sancto Patri Felici S[æ]. Sedis Apostolicæ vrbis Romæ Papæ, Athanasius & vniuersi Ægyptiorum, Thebaidorum, & Lybiorum Episcopi, in sancta Alexādrina Synodo gratia Dei congregati. Vestro sancto suggerimus Apostolatui, vt nostrî, more solito, solicitudinem gerere dignemini. Ideò Pater beatis-

ſime, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra Apoſtolica ſancta Sede auxilium hauſimus, & noſtrî vos curam habere agnouimus, præfatam Apoſtolicam & ſummam expetimus iuxta Canonum Decreta Sedem vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata, atque ſubleuationes ceperunt: ad eam quoque, quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur, quoniam non poteſt mater obliuiſci infantē ſuum; ſic & vos nolite obliuiſci nos vobis cōmiſſos: quoniam non leuibus nos inimici noſtri implicauerunt afflictionibus, & quotidie facere moliuntur, & apprehendere, aut ferris nos conſtringi minantur, niſi eorum conſentiamus erroribus, quod nequaquam, vobis inconſultis, agere præſumimus; canonibus quippe iubentibus, abſque Romano nos de maioribus cauſſis nihil debere decernere Pōtifice. Ideóque ad propoſitum recurrentes & ad brauium properantes, veſtræ Apoſtolicæ Sedis imploramus auxilium: quia (vt credimus) non deſpexit Deus preces cum lacrymis ſibi oblatas ſeruorum ſuorū, ſed obid vos, prędeceſſoréſque veſtros, Apoſtolicos videlicet præſules, in ſummitatis arce conſtituit, omniūque Eccleſiarum eis curam habere præcepit, vt nobis ſuccurratis, nóſque tuentes, cui omne Epiſcoporum iudicium eſt commiſſum, liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis. Nam ſcimus in Nicæna magna Synodo trecentorum 18. Epiſcoporum, ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia cele-

*Iſaiæ 49.*

Eccleſia Rom. mater omniū, & ad eam tamquam ad matrē debemus recurrere.

Apoſtolici præſules, debēt curā habere omnium Eccleſiarū, & omnibus ſuccurrere.

Abſque Romani Pontificis ſententia, nōn debēt Concilia celebrari, nec Epiſcopi damnari.

brari, nec Episcopos damnare, licèt hæc & alia quãplura necessaria, ab hæreticis, qui nos quotidie infestant & perdere nituntur, vt faciliùs nos capere possint, sint synodica Capitula incensa, nobísque

*Infra.* sublata, &c. *Et paulò post.* Vos ergo (vt semper vestræ Sedi sanctæ consuetudo fuit) periclitantibus subuenite, oppressos roborate, tribulatis manum porrigite, taliáque prohibete, & leges imponite, vt Apostolica doctrina, quæ in DEO est, citò ad victoriam iudicium perducere valeat nostrum, nósque (Apostolorum principe suffragante Petro) ab

*Infra.* imminentibus periculis liberare. Similiter & à supradictis Patribus est definitum consonanter, vt si quisquam Episcoporum, aut Metropolitanum, aut comprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi ac soluendi speciali est priuilegio super alios concessa. Ipsa enim fir-

*Matt.16.* mamentum à Deo fixum & immobile percepit: quoniam ipsam formam vniuersorum titulorum lucidissimam, Dominus Iesus Christus veram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur, releuantur. Et sicut in Christo Christiani, & in petra (id est Christo) Petrus, Petri renouantur Ecclesiæ. *Tu es enim* (sicut diuinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum, Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiã sustinere & propriis humeris portare debent, ita tibi sunt confirmatæ, tibíque claues regni cœlorum cõmisit, atque ligare & soluere

Ecclesia Romana forma est & vertex aliarum Ecclesiarum.

Episcopi, columnæ Ecclesiæ sunt, qui eã propiis humeris portare debent.

poteſtatiuè, quæ in terra, & quæ in cœlis ſunt, promulgauit. In prophanarum hæreſum, & impetitorũ, atque omnium infeſtantium depoſitor, vt princeps & doctor, capútque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei exiſtis. Igitur ne deſpicias, Pater, tuorum Patrum pietatem, bonámque intentionem. Et ſicut illi Patres & prædeceſſores noſtros à multis liberauerunt oppreſſionibus & anguſtiis, ita nos liberare digneris. Nam fuit ſemper veſtræ ſanctæ & Apoſtolicæ Sedi licentia, iniuſtè damnatos vel excommunicatos, poteſtatiuè ſua autoritate reſtituere, & ſua eis omnia reddere, & illos, qui eos condemnauerunt, aut excommunicauerunt, Apoſtolico punire priuilegio, ſicut etiam noſtris & anterioribus cognouimus actum temporibus.

ITEM. Certum eſt enim, eidem ſanctæ Sedi veſtræ, in honorem beatiſſimi Petri, Patrum decreta peculiarem decreuiſſe reuerentiam Dei, pro rebus inquirendis atque determinandis, &c.

ITEM, Scimus enim (vt ſemper veſtræ Sedis præſules, primò Apoſtoli, deinde ſucceſſores eorũ, fecerunt) vos vniuerſalis Eccleſiæ, & maximè Epiſcoporum, qui oculi, propter contemplationem & ſpeculationem vocantur Domini, curam gerere.

*Epiſcopi vocantur oculi.*

FELIX natione Romanus, ſedit annum vnum, menſ. 3. dies 3. martyrio coronatus & capite truncatus paſſus eſt in ciuitate Cortona cum multis Clericis & fidelibus, 3. idus Nouembris. Ex lib. Pontif. Damaſ. Summa laude Pontificia adminiſtratione perfunctus, receptúſque cum beatis in cœlum, in terra etiam venerandus in perpetuum anniuerſario cultu remanſit. Iſte damnauit prauam conſuetudinem rebaptizandi, & reiterandi Sacramentum Cõfirmationis, vt habetur Epiſt. 1. c. 2. & in Decretis de conſecratione. Diſt. 4. cap. eos. & Diſtinctione 5. cap. dictum.

## *EX EPISTOLA STEPHANI Archiepiscopi, & trium Conciliorum Africæ, ad Damasum PP. sedentem anno à Christi Natiuitate* 384. *de priuilegio Romanæ Sedis.* Tom. I. Concil.

BEatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici, Stephanus Archiepiscopus Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Conciliis Africanæ prouinciæ. Notũ vestræ facimus Beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deiiciũt gradu, vel deiicere moliuntur, cũ vestræ Sedi, Episcoporum iudicia, & summorum finem ecclesiasticorum negotiorum, in honorem Beatissimi Petri, Patrũ Decreta omniũ, cuncta reseruetur sentẽtia, inquirẽdi etiã reuerẽtia de Dei rebus, quę omnia magna cura & solicitudine obseruare debemus. Maximè verò iustè debent ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm releuare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est; vt quicquid horum quamuis in remotis, vel in longin-

Cõcilium Africanũ Mauritaniæ.

Idem habetur in Decret. Felicis PP. 2. in Epistola Ægyptiorũ ad Felic. PP. 2.

quo

quo positis, ageretur prouinciis, non priùs tractãdum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum; vt eius autoritate, iuxtà quod fuisset pronuntiatum, firmaretur, & reliqua multoties talia, & his similia, quæ super his cõstituta sunt: quibus, si illicitè factum est, vt semper vestræ Sedi consuetudo fuit, festinanter occurrite, & his viriliter, vt Pater pro filiis, certantes state, sicut bene à Iesu filio Syrach dictum est. Deus ergo creator omnium conseruet longæuum Apostolatum Vestrum, ad stabilitatem Ecclesiarum sanctarum, & orthodoxæ fidei, vósque Pastorem bonum, qui pro spiritualibus ouibus vestram ponitis animam, atque baculo pastorali lupos rapaces expellitis, omnibúsque oppressis auxilium fertis, quod & istis atque omnibus vos semper facere optamus. *Sanctissime Papa, subscriptio.* Et alia manu: *Ora pro nobis charissime Pater.*

DAMASVS natione Hispanus, sedit annos 18. Mens. 3. dies 11. Fuit autẽ tempor. Iuliani. Multa corpora sanctorum requisiuit & inuenit, quorum sepulchra versibus exornauit. Fuit accusatus inuidiosè de adulterio, sed purgatus (facta Synodo) à 44. Episcopis, condemnantes & eiicientes ab Ecclesia accusatores. Multa notatu digna fecit, & vt Psalmi noctu diéque decantarentur in Ecclesia constituit. Sepultus fuit via Ardeatina 3. idus Decemb. in Basilica sua. Ex lib. Pontif. Eximias virtutes Damasi commendat S. Ambrosius, Damasus (inquit) Sacerdos, iudicio Dei electus. S. Hieronymus Epistola 30. Virginem, Ecclesięque virginis Doctorem appellat, ad Pammachiũ scribens. Post eius transitum multa miracula per eum Deus operatus est; Dæmonia ab obsessis corporibus expulsa, febricitantes curati, & quod maius est, clinici, atque contracti extensi fuere, lunatici sanati, cæcus tredecim iam annis luce orbatus, ab ipso adhuc viuente visui restitutus est

## *EX EPISTOLA III. DAmasi Papæ ad prædictum Stephanum, & ad Concilia Africæ.* Tom. I. Conciliorum.

OPortet, iuxta vestram prudentem commonitionem; magis autem secundùm Domini diuinam præceptionem, nos, qui supra domum eius, hoc est, vniuersalem Ecclesiam Catholicam, Episcopale suscepimus ministerium, solicitè vigilare, vt ne quid de sacris eius muneribus, id est, Apostolicis viris, Apostolorúmque successoribus atque ministris quisquã, nobis dormitantibus, valeat supprimi, atque iniustè, nobísque inconsultis, damnari. Scitis, fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum. Tu es enim (sicut diuinum pronuntiat Verbum veraciter) Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ; qui Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt, & tibi claues Regni cœlorum commisi, atque ligare & soluere potestatemquæ in cœlis sunt, & quæ in terris, promulgaui. Tu prophanatorum hominum, & membrorum meorum, maximéque Discipulorũ meorum existis vt Princeps & doctor orthodoxæ

*Matth.* 16.

Sedes Apostolica firmamentum fixum est omniũ Episcoporum; vertéxque omnium Ecclesiarum.

Episcopi Ecclesiæ sunt columnæ.

& immaculatæ fidei, cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, & omnes huius sanctæ Sedis præsules eius vicem gesserunt, gerũt, & gerent. *Et post pauca.* Nam (vt nôstis) Synodum sinè eius autoritate fieri, nec est Catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica autoritate. *Item circa finem Epistolæ.* Omnibus manifestum est, non deberi Episcopum damnari, licèt eius perscrutetur opinio, donec iudicium de ore nostræ Apostolicæ autoritatis, hoc est, principis Apostolorum Petri, cognoscatur; vt pote quoniam solus & præ omnibus creditus est, atque percipere meruit à Rege regum Christo Deo claues regni cœlorum, ad aperiendum fidelibus & beneuolis hominibus in eumdem Dominũ nostrum, & claudendum infidelibus & maleuolis, atque suorum Sacerdotum & sanctæ Ecclesiæ, suo precioso sanguine redemptæ, impugnatoribus siue nocentibus. Quod vtique & nos facere postulauit. Non quòd noui aliquid nunc imperatur, sed illud quod per desidiam aliquorum aut sciẽter aut negligenter transgreditur, deinceps obseruetur ab omnibus, vt illa semper quæ Apostolica & Patrum traditione constituta sunt, sub metu, irrefragabili authoritate, teneantur. Scriptum namque est in secunda ad Thessalonicenses Epistola, & ad Timotheum, Apostolo monente. *State, & tenete traditiones vestras quas didicistis seu per verbum, seu per Epistolam.*

Fieri Synodum sinè autoritate Papæ, non est Catholicum.

Episcopus nisi in legitima Synodo, Apostolica autoritate congregata, definitè damnari non potest.

Concilia vt rata sint, debét autoritate Apostolica esse fulta.

*Mat. 16.*

*2. Thess. 2.*
*1. Timot. 3.*

## *EX CONCILIO GENERALI Constantinopolitano primo, celebrato anno à Natiuitate Christi 401. sub Damaso Papa.* Tomo I. Concil.

COnstantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit noua Roma.

Habitum fuit hoc Concil. à 150. Episcopis, sub Theodosio maiore, Siagrio & Eucherio Consulibus, aduersus Macedonium.

## *EX EPISTOLA LXXIII. SANcti Leonis PP. sedentis anno à Christi Natiuitate 461. ad Leonem Augustum.* Tomo I. Concil.

CVm ergo vniuersalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationem facta sit petra, & primus Apostolorũ beatissimus Petrus voce Domini audierit: *Tu es Petrus & super hanc petram*
Matt. 16. *ædificabo Ecclesiam meam* quis est nisi aut Antichristus, aut Diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem veritatem, qui in malitia sua inconuertibilis perseuerans, per vasa irę, & suæ apta fallaciæ, falsò dili-

gentiæ nomine, dum veritatem se mentitur inquirere, mendacia desiderat seminare?

Leo natione Tuscus, sedit annos 21. mensem 1. dies 13. Hic Leo, in V. Concilio generali laudatur, vt illuminator & columna Ecclesiæ, eiúsque Epistolæ sacræ Deóque gratæ dicuntur, & in Concil. VI. generali, diuinus dicitur prædicator. Multa miranda fecit, vt videre est in Pontificali libro, qui & sepultus est apud B. Petrum Apostolum, 3. Idus Aprilis. De illo ait Sophronius inter alia, in Prato spirituali, cap. 149. quòd beatissimus, & æqualis Angelis Leo Papa, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, quadraginta dies perseuerauit ad sepulchrum Apostoli Petri, vigilijs, & orationibus insistens, peténsque ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua, impletis diebus quadraginta apparuit ei Petrus Apostolus, dicens ei; oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua. Videatur Eusebius Mediolanensis, & Sophronius Hierosolymitanus, & Concilium Chalcedonense, Actione 3.

## EX EPISTOLA EIVSDEM ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem.

HÆc connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum; quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis, quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædã discretio potestatis: & cùm omniũ par esset electio; vni tamen datum est vt cæteris præemineret. De qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio: & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam, in maioribus vrbibus cõ-

Cùm omniũ Apostolorum par esset electio; vni tamen datum est vt cæteris pręemineret, scilicet Petro.

ſtituti, ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura confluerent, & nihil vnquã à ſuo capite diſſideret.

## *EX EPISTOLA EIVSDEM, ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis.*

*Diſtin.29. ita Dn̄s noſter Ieſus.*

HVius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret: vt ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* vt æterni ędificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate conſiſteret. Hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi prȩualerent: verùm hanc Petrę iſtius ſacratiſſimæ firmitatem Deo (vt diximus) ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis, & id, quod accepit à veteribus, non ſequendo; cùm nulli ſe ſubditum legi, nullis inſtitutionis Dominicæ credit regulis contineri, à veſtro noſtróque per

*Matth.16.*

Firmitas Eccleſiæ tanta, vt portæ inferi non preualeãt aduersùs eam.

Nimis impia præſumptio, temtare infringere poteſtatẽ Eccleſiæ.

nouæ vsurpationis ambitum more desciscens, præsumendo illicita, & quę custodire debuit, negligendo.

## *EX SERMONE II. EIVSDEM, in anniuersario die Assumptionis suæ, in Libro sermonum suorum.*

Petrus petra, fundamentũ, cælique ianitor.

BEatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseuerans, suscepta Ecclesię gubernacula non reliquit: sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamẽtum pronuntiatur, dum regni cœlorum ianitor constituitur, dum ligandorum soluẽdorúmque arbiter mansura etiam in cœlis iudiciorum suorum definitione pręficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus. *Item post pauca.* His itaque dilectissimi rationabili obsequio celebratur hodierna festiuitas, vt in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium pastorum solicitudo cum commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, & cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit. Vnde Venerabiliũ quoque fratrum & consacerdotum meorum desiderata mihi & honoranda pręsentia hinc sacratior est & deuotior, si pietatem huius officij, in quo adesse dignati sunt, ei principaliter deferunt, quem non solùm huius Se-

Petrus omnium Episcoporum primus.

dis præſulem; ſed & omnium Epiſcoporum nouerunt eſſe primatem.

## *EX SERMONE III. EIVSDEM, de Anniuerſario eius Pontificiæ aſſumptionis.*

DE toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentiũ vocationi, & om̃nibus Apoſtolis, cunctíſque Eccleſię Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multíque paſtores: omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnũ & mirabile, dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio: etſi quod cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid aliis non negauit. Omnes denique Apoſtolos Dominus, quid de ſe homines opinentur, interrogat: & tamdiu ſermo reſpondentium communis eſt, quamdiu humanę intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat ſenſus Diſcipulorum exigitur, primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate. Qui cùm dixiſſet: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*: Reſpõdit ei Ieſus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt*, Id eſt, ideò beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te feſellit, ſed inſpiratio cæleſtis

te

te instruxit, & non caro & sanguis, sed ille me tibi, cuius sum vnigenitus Filius, indicauit. Et ego (inquit) dabo tibi: hoc est, sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam: *Quia tu es Petrus*; id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentũ, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris; vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Super hanc (inquit) fortitudinem, æternum exstruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem, *Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*, non tenebunt, mortis vincula non ligabunt; vox enim ista, vox vitæ est. Et sicut confessores suos in cœlestia prouehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicit Beatissimo Petro. *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Trãsiuit quidem in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit, sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi

1. Corint. 3.

Petrus dicitur petra super quam fundatur Ecclesia.

Matt. 16.

Petri in ligando & soluendo priuilegium.

nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut soluerit, aut ligauerit. Instante autem passione sua Dominus, quæ discipulorum erat turbatura constantiam, Simoni, inquit, *Simon, ecce Sata-*
*Luca 22.* *nas expostulauit vos, vt cribraret sicut triticum, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, vt non intretis in tentationem.* Commune erat omnibus Apostolis periculum de tētatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christū Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cùm itaque dilectissimi tantùm nobis videamus præsidium diuinitus institutum, rationabiliter & iustè in ducis nostri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi, Redemptori nostro Domino Iesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem fecit, vt si quid etiam nostris tēporibus rectè per nos agitur, rectéque disponitur, illius operibus, illius sit guberna-
*Luca 22.* culis deputandum, cui dictum est: *Et tu conuersus, confirma fratres tuos.* Et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam æterni amoris professionem mysti-
*Ioan. 21.* ca insinuatione ter dixit, *Pasce oues meas.*

Christus specialiter pro Petro rogauit.

## *EX SERMONE I. EIVSDEM, in Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli.*

ISti sunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia, per sacram beati Petri Sedē caput orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. *Et paulò post.* Nam cùm duodecim Apostoli, accepta per Spiritum sanctum omniū locutione linguarum, imbuendum Euangelio mūdum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent; Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. *Item post pauca, loquens ad Petrum.* Iam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras. Iā Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadocian, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras, nec aut dubius de prouectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quò te diuinis præordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passio-

*1. Petr. 2.*

*Actor. 2. c.*

*Actor. c. 11.*

nis. Ad quam beatus coapostolus tuus, vas electionis, & specialis Magister gentium Paulus occurrēs, eodem tibi consociatus est tempore, quo iam omnis innocentia, omnis pudor, omnísque libertas sub Neronis laborabat imperio, &c.

Act.c.9.

1.Tim.1.

Paulus Petri socius.

Nero primus persecutor Christianorum.

## *EX EPISTOLA CONCILIJ Generalis quarti, Chalcedone celebrati, anno à Natiuitate Christi 474. Ad Imperatores, de Dioscoro hæretico.* To. I. Conc.

SEd quoniam super alias nequitias suas, & aduersùs ipsam Apostolicam Sedem latrauit, & excommunicationis litteras aduersùs sanctissimum, & beatissimum Papam Leonem facerē conatus est.

Dioscorus hæreticus Leonē Papam excōmunicare tentauit.

Interfuerunt huic Concilio 630. Episcopi, contra omnes hæreses definientes, maximè contra Eutychē & Dioscorū, Valentiniano & Auieno Consulibus.

## *EX EODEM CONCILIO Chalcedonensi ad sanctissimum Leonem Papam.*

IPse seruasti, vocis B. Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationē super omnes adducens. Vnde & nos quippe vt inchoatores bonorū, ea ad vtilitatem vertentes, Ecclesiæ filiis hæreditatem sortémque veritatis ostendimus, non singulatim faciente in occulto vnoquo-

que doctrinam, sed vno spiritu, vna conspiratione atque concordia confessionem fidei declarantes. Et eramus in communi corona gaudij, quasi in imperialibus cœnis, deliciis spiritualibus epulātes, quas per tuas litteras Christus præparauerat inuitatis, & supercœlestem sponsum inter nos conuersantem noscernere putabamus. Si enim vbi sunt duo aut tres congregati in nomine eius, ibi se in medio eorum fore perhibuit, quantam circa Sacerdotes peculiaritatē potuerūt demonstrare, qui & patriæ & liberis, suæ confessionis notitiam prętulerunt? quibus tu quidem sicut membris caput pręereas, in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens. *Et paulò post de Dioscoro loquens dicit.* Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineę custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem. Et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas. *Item infra.* Confirmauimus autem & centum quinquaginta Sanctorum Patrum, qui in Constantinopoli congregati sunt, regulam, sub piæ memorię maiore Theodosio, quæ præcepit, post vestram Sanctissimam & Apostolicam Sedem, honorem habere Constantinopolitanam, quæ secūda est ordinata, confidentes, quia lucēte apud vos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuetè gubernando illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eò quòd absque inuidia consueueritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos. Quæ igitur definiuimus,

*Matth. 18.*

Romanus Pontifex suum obtinet locū inter Pontifices reliquos, quemadmodum caput inter membra corporis.

Constantinopolitana Ecclesia, secūda post Romanā.

ad interemptionem quidem totius confusionis, cõfirmationem verò Ecclesiasticæ ordinationis definiuimus. Hæc, sicut propria & amica, & ad decorem conuenientissima, dignare complecti sanctissime & beatissime Pater. *Et paulò inferius*. Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos cupidi in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis (quod decet) adimpleat.

Confirmatio Concilij Chalcedonensis petitur à Leone Papa.

## *EX EODEM CONCILIO Chalcedonensi.*

GLoriosissimi Iudices dixerunt. Ex his quę gesta sunt, vel ab vtroque deposita perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones, Antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.

Primatus Romanæ Sedis in his significatur.

## *EX EPISTOLA II. TARRACOnensium Episcoporum, ad Hilarium PP sedentem anno à Christi Natiuitate* 487. Tom. I. Concil.

DOmino beatissimo & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilario, Ascanius Episcopus, & vniuersi Episcopi Tarraconensis prouincię. Etiamsi nulla dictaret ne-

cessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum re vera nobis fuerat illud priuilegium Sedis vestræ, quo susceptis regni clauibus, post resurrectionem Saluatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: cuius Vicarij principatus sicut eminet, ità metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sinè querela seruitis, ad fidē recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur. Cùm hæc ità se habeant, est tamen inter nos falsus frater, cuius præsumptionem sicut diutius tacere non licuit, ità & loqui futuri iudicij necessitas imperauit. Siluanus quidem Episcopus Calaguræ, in vltima parte nostræ prouinciæ constitutus, diuinationes sibi indebitas vsurpando, humilitatem nostram ad hoc vsque perduxit, vt contra eius vanissimam superstitionem Sedis vestrę vnicum remedium flagitemus.

Principatus Vicarij Christi, sicut eminet, ità metuendus est ab omnibus & amandus.

Siluanus Episcopus Calaguritanus accusatur superstitionis apud Hilarium Papā à Cōprouincialibus.

Hilarius natione Sardus, sedit annos sex, menses tres, dies decem, penè innumera fecit notatu dignissima, exstant enim omnia in libro Pontificali. Sepultus est ad sanctum Laurentium, iuxta corpus B. Sixti. In egentes & pauperes fuit pietate ac liberalitate clarus. Hic opum neglectu, & consiliorum magnitudine inter sublimes Pontifices effulsit, & meritis almus, Angelorum colloquium, & salutationem meruit. Alia multa reperiuntur apud Anastasium Bibliothecarium ex vetustioribus accepta monumentis, videte illum.

## *EX CONFESSIONIS FIDEI libello Joannis Episcopi Constantinopolitani ad sanctissimum Hormisdam PP. sedentem anno à Christi Natiuitate 510.* To. I. Conc.

CErtus igitur ſcito,per omnia Sanctiſſime, quia ſecundùm quod vobis ſcripſi, tecũ cum veritate ſentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo: & ego pacem diligens, ſanctiſſimas Dei Eccleſias, id eſt, ſuperioris veſtræ & nouellæ iſtius Romæ vnam eſſe accipio, illam Sedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtę ciuitatis, vnam eſſe definio. Omnibus actis à Sanctiſſimis quatuor Synodis,id eſt, Nicęna,Conſtantinopolitana, Epheſina,& Chalcedonenſi,de confirmatione fidei inſtitutis Eccleſiæ aſſentio, & nihil titubare de bene iudicatis patior. Sed & conantes, aut niſos, vſque ad vnum apicem placitorum perturbare, lapſos eſſe à ſancta Dei generali & Apoſtolica Eccleſia ſcio; & tuis verbis rectè dictis euidenter vtens, per præſentia ſcriptã hæc dico: quia prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare: quia non poteſt Domini noſtri Ieſu prætermitti ſententia dicentis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hæc quæ dicta ſunt,rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio. *Et circa finem.* Vnde probamus,& amplectimur

Eccleſia Catholica vna eſt.

*25. q. 1. c. prima ſalus eſt,&c.*

*Matt. 16.*

Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulã cuſtodire.

In Apoſtolica Sede ſemper inuiolabilis cuſtoditur religio.

ctimur Epistolas omnes Beati Leonis Papæ vrbis Romæ, quas conscripsit de recta fide, quapropter (sicut prędiximus) sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero in vna communicatione vobiscum, quā Apostolica Sedes prędicat, me futurum, in qua est integra deuotio Christianæ religionis & perfecta soliditas; promittens in sequenti tempore, sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quòd si in aliquo à professione mea dubitare tentauero, his, quos condemnaui, & per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic verò professioni subscripsi manu mea, & direxi perscriptam tibi Hormisdæ, sancto & beatissimo Fratri & Papæ magnæ Romæ.

In Apostolica Sede, integra deuotio est, & perfecta soliditas.

*Dist. 50. 51 ille 3. q. 5. c. nullus 31 q. 2. de neptis tua.*

Hormisdas natione Campanus, sedit annos 8. dies 17. Fuit autem temporibus Theodorici Regis, & Anastasij Augusti. Multa operatus fuit laude digna, exstant enim in libro Pontificali. Qui etiam sepultus fuit in Basilica B. Petri Apostoli 8. Idus Augusti. Decreuit iste (vt Gratianus ait) ne ille qui in monasterio est reclusus vt pœnitentiam agat, ordinetur presbyter, & quòd nullus fidelium occultè nuptias faciat, sed benedictione à Sacerdote accepta nubat publicè in Domino.

## *EX EPISTOLA CONCILII V. generalis Constantinopolitani, ad Agapetum PP. sedentem anno à Christi Natiuitate 545.* Tomo 2. Conciliorum.

Domino nostro per omnia sanctissimo & Beatissimo Patri Patrum Archiepiscopo Romanorū, & Patriarchę Agapeto, ab Episcopis Orietalis dioe-

Q

cesis, & ab his, qui sunt sub sanctis locis Christi Dei nostri, nec non ambasiatoribus, & cæteris clericis
*Matt. 16.* in hac regia vrbe congregatis: Ex quo Christus
*Psalm. 36.* Deus noster pro debitis nobis præmiis propter ipsum in omni tempore, cum vera fiducia sua inuisibili, ac terribili virtute diuulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requiescere fecit,
*Psal. 39.* cùm Sedem Apostolorum vobis, Pater beatissime, cōmisit, & firmauit super firmam petram pedes vestros, & direxit gressus vestros, & impleuit os vestrū cantico, nouo hymno Deo nostro, &c.

*De Consec. Distinct. 1. D. Gregor. l. 3. Dial. c. 3.* AGAPETVS Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ Papa ordinatur, vir in Ecclesiasticis apprimè eruditus: dum in Italiam reuerti disponit, Constantinopoli obijt 12. Kalendas Iunij. Multa egit præclaris & sanctitatis & virtutis diuinæ significationibus, in quibus illud est, quòd mutum & surdum mirabiliter sanauit corporis Domini administratione, vt D. Gregorius Magnus refert. Huius hæc illa sunt pręconia. Agapetus vas Catholicum, Euangelij tuba, præco iustitiæ, &c.

## *EX SENTENTIA EIVSDEM V. Concilij Generalis contra Anthimum,* To. 2. Conciliorum.

IN talibus enim cùm magnus Imperator seipsum disposuerit, ad memoriámque sibi reuocauerit sententiam Principis Apostolorum,
*1. Petr. 3.* qua dicit, *Paratos nos semper esse oportere ad respondendum omni petenti rationē de ea, quæ in nobis est, spe*, nihil plus iuuit, sed ad eius serenitatem deceptibilibus rationibus vsus, promisit se omnia facere, quæcumque Summus Pontifex *Anthinus se subiicit Romanæ & Apostolicæ Sedi.*

magnæ Sedis Apostolicę decerneret, & ad sanctissimos Patriarchas scripsit, se sequi per omnia Apostolicam Sedem.

## *EX EPISTOLA SANCTI FElicis Episcopi Siciliæ, ad Gregorium PP. sedentem anno à Christi Natiuitate 594.*

## Tom. 2. Concil.

QVoniam non modicum murmur super hac re nobiscũ versatur, quid respondere fratribus & Coëpiscopis nostris debeamus, à vobis quasi à capite respõsum quęrimus: ne super his ancipites remaneamus, aut murmur vllum tam nostris temporibus, quàm post inter vos & alios remaneat, rumórque vester, qui semper bonus & optimus fuit, detractionibus laceretur vel subrodatur; aut nomen vestrum (quod absit) superuenientibus tẽporibus blasphemetur. Nos autem, quæ recta sunt, autore Deo, humili corde seruantes, vno vinculo charitatis vobis constricti, vestrã religionem in omnibus vt fideles alumni defendentes, à vobis, quę recta sunt quærimus. Scimus enim, vt semper sanctæ Sedis præsules, primò Apostoli, deinde successores eorum fecerunt, vos vniuersalis Ecclesiæ, & maximè Episcoporũ, qui oculi propter contemplationem & speculationem vocãtur, Domini curam gerere, ac de religione, & lege vestra assiduè cogitare.

Episcopi Oculi vocantur.

GREGORIVS natione Romanus sedit annos 13. mens. 6. dies 10. multa elegantissimè conscripsit, in Euangelia, in Iob, Ezechielē, Pastorale quoque & Dialogorum libros 4. Edidit & alia multa quæ enumerari nequeunt: augmentauit precationem Canonis, & post hæc omnia sepultus est in Basilica B. Petri 12. Mar. Ab ineunte ætate, sanctitate, doctrina, eloquentia, & morum honestate insignis, omnibus pompis mundi relictis monachorum monasterium ingressus est. Doctor fuit Ecclesiæ eximius, qui ob res præclarè gestas, atque Anglos ad fidem Christi conuersos, Magnus est dictus, & Anglorum Apostolus appellatus. Videatur D. Ildefonsus cap. 2. de Viris Illustribus qui miris laudibus eum exornat, ità vt dicat, quòd nihil illi simile demōstrârit antiquitas; vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum, &c. Videatur Synodus Toletana VIII. c. 2.

## *EX DECRETO LATERANENsis Concilij, in quo B. Gregorius PP. primus, præsedit, sedens anno à Natiuitate Christi* 594. Tom. 2. Concil.

INterdicimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & autoritate Beati Petri Principis Apostolorum, cuius vice huic Ecclesiæ Romanæ presidemus, prohibemus, vt nullus Episcoporum, aut secularium vltra præsumat, &c.

Potestas Summis Pontificibus concessa, hîc insinuatur à D. Gregorio.

## *EX EPISTOLA AGATHONIS PP. sedentis anno* 664. *à Christi Natiuitate, ad Imperatorem scripta: & in VI. Generali Concilio, in Constantinopolitana ciuitate recitata.* Tom. 2. Concil.

POrrigere dignemini clementissimā dexteram Apostolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum vestrorum beatus Petrus Apostolus tradidit, non vt sub modio condatur, sed tuba clariùs in toto orbe præ-

Doctrina, non vt sub modio abscondatur, sed vt luceat traditur, vt Matthęus, Marcus, & Lucas clamitant.

dicetur: quia eius vera confessio à Patre de cœlis est reuelata, pro qua à Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus; qui & spiritales oues Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium, terna commẽdatione, pascendas suscepit, cuius adnitente prę̨sidio, hęc Apostolica eius Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius autoritatem, vtpote Apostolorum omnium principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnésque venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi; per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt: hęretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti. *Et paulò post.* Hæc est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Ecclesia Christi, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis nouitâtibus deprauata succubuit: Sed, vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab autoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus manet, secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Euangeliis fatus est: *Petre Petre*, inquiens, *ecce Satan expetiuit vt cribaret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Con-

Mat. 5. Mar. 4. Luca 11. Matth. 16. Ioan. vlt.

Doctrinã Apostolicã, hæretici semper insecuti sunt, ecõtrà verò Doctores sancti & venerabiles patres venerati atque secuti sunt.

Apostolica ecclesia nunquam errâsse probabitur à tramite Apostolicæ traditionis, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit.

Luc. 22.

siderct itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eũ fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meę exiguitatis prędecessores confidenter fecisse, semper cunctis est cognitum.

AGATHO natione Siculus, sedit annos 2. mens. 6. dies 4. fuit vir mitissimus, benignus & mansuetus, ab omnibus hilaris & iocundus comprobatus, huius tempore luna Eclipsim pertulit mense Iunio die 18. ex quo mortalitas talis subsequuta est, qualis nec temporibus aliorum Pontificum fuisse memoratur: ipse verò sepultus est ad B. Petrum Apostolum, sub die 4. Idus Ianuarij. Tantæ sanctitatis vir fuit, vt leprosum obuiam factum, osculo suo statim liberauerit. Tantæ prætereà humanitatis, vt nullum à se vnquam tristem dimiserit. Morbus ille & mortalitas, meritis, B. Sebastiani martyris, elanguit. Ità Paulus Diaconus, lib. 6. De gestis Longobardorum.

## EX DICTIS EIVSDEM VI. Concilij in octaua Sessione, de supradicta Epistola Agathonis loquendo.

DOmitius Episcopus Prusiados dixit: Suggestiones directas à Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis Sedis antiquæ Romæ, ad coronatũ à Deo, & mansuetissimum Dominum nostrum, & magnum victorem Imperatorem, tanquam ex Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum Petri, prędico, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector.

## EX EPISTOLA SOPHRONII *Patriarchæ Hierosolymorum, ad prædictum Concilium VI. in ipso Concilio recitata. Ex eodem,* Tom. 2. Conciliorum.

Sophronius Patriarcha Hierosolymorum probat scripta Leonis cõtra Eutychem & Nestoriũ.

TAmquam sanctã & cohonorandam suscipio, eiusdémque rectæ fidei propagatricem, & à Deo condonatam, atque à Deo inspiratam Epistolam, magni atque præclari Leonis sanctissimi Romanæ Ecclesiæ; imò omnium quæ sub sole erũt, luminaris: quam diuino manifestè permotus Spiritu contra Eutychen maledictum, & Deo odibilem, desipientémque Nestorium, ad Flauianum laudabilem scripsit regiæ vrbis Episcopum; quam vt firmamentũ rectæ fidei nos instruentem, omnem verò prauitatem hæreticam perimentem, & ab à Deo custoditis atriis nostræ sanctæ Catholicæ Ecclesiæ effugantem: cum qua diuina syllaba & scriptura, & cunctas eius Epistolas & dogmata, tamquam prolata ex ore Petri Principis Apostolorum, amplector, osculor, & veneror, & anima tota complector.

ad interemptionem quidem totius confusionis, cõfirmationem verò Ecclesiasticæ ordinationis definiuimus. Hæc, sicut propria & amica, & ad decorem conuenientissima, dignare complecti sanctissime & beatissime Pater. *Et paulò inferius.* Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos cupidi in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis (quod decet) adimpleat.

Confirmatio Concilij Chalcedonensis petitur à Leone Papa.

## EX EODEM CONCILIO Chalcedonensi.

GLoriosissimi Iudices dixerunt. Ex his quę gesta sunt, vel ab vtroque deposita perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones, Antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.

Primatus Romanæ Sedis in his significatur.

## EX EPISTOLA II. TARRACOnensium Episcoporum, ad Hilarium PP sedentem anno à Christi Natiuitate 487. Tom. I. Concil.

DOmino beatissimo & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilario, Ascanius Episcopus, & vniuersi Episcopi Tarraconensis prouincię. Etiamsi nulla dictaret ne-

cessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum re vera nobis fuerat illud priuilegium Sedis vestræ, quo susceptis regni clauibus, post resurrectionem Saluatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: cuius Vicarij principatus sicut eminet, ità metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sinè querela seruitis, ad fidē recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur. Cùm hæc ità se habeant, est tamen inter nos falsus frater, cuius præsumptionem sicut diutius tacere non licuit, ità & loqui futuri iudicij necessitas imperauit. Siluanus quidem Episcopus Calaguræ, in vltima parte nostræ prouinciæ constitutus, diuinationes sibi indebitas vsurpando, humilitatem nostram ad hoc vsque perduxit, vt contra eius vanissimam superstitionem Sedis vestrę vnicum remedium flagitemus.

Principatus Vicarij Christi, sicut eminet, ità metuendus est ab omnibus & amandus.

Siluanus Episcopus Calaguritanus accusatur superstitionis apud Hilarium Papā à Cōprouincialibus.

Hilarius natione Sardus, sedit annos sex, menses tres, dies decem, penè innumera fecit notatu dignissima. exstant enim omnia in libro Pontificali. Sepultus est ad sanctum Laurentium, iuxta corpus B. Sixti. In egentes & pauperes fuit pietate ac liberalitate clarus. Hic opum neglectu, & consiliorum magnitudine inter sublimes Pontifices effulsit, & meritis almus, Angelorum colloquium, & salutationem meruit. Alia multa reperiuntur apud Anastasium Bibliothecarium ex vetustioribus accepta monumentis, videte illum.

## *EX CONFESSIONIS FIDEI libello Joannis Episcopi Constantinopolitani ad sanctissimum Hormisdam PP. sedentem anno à Christi Natiuitate* 510. To. I. Conc.

Certus igitur scito, per omnia Sanctissime, quia secundùm quod vobis scripsi, tecũ cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo: & ego pacem diligens, sanctissimas Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio, illam Sedem Apostoli Petri, & istius Augustę ciuitatis, vnam esse definio. Omnibus actis à Sanctissimis quatuor Synodis, id est, Nicęna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi, de confirmatione fidei institutis Ecclesiæ assentio, & nihil titubare de bene iudicatis patior. Sed & conantes, aut nisos, vsque ad vnum apicem placitorum perturbare, lapsos esse à sancta Dei generali & Apostolica Ecclesia scio; & tuis verbis rectè dictis euidenter vtens, per præsentia scriptã hæc dico: quia prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare: quia non potest Domini nostri Iesu prætermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio. *Et circa finem.* Vnde probamus, & amplectimur

Ecclesia Catholica vna est.

*25. q. 1. c. prima salus est, &c.*

*Matt. 16.*

Prima salus est, rectæ fidei regulã custodire.

In Apostolica Sede semper inuiolabilis custoditur religio.

ctimur Epistolas omnes Beati Leonis Papæ vrbis Romæ, quas conscripsit de recta fide, quapropter (sicut prędiximus) sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, & prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero in vna communicatione vobiscum, quā Apostolica Sedes prędicat, me futurum, in qua est integra deuotio Christianæ religionis & perfecta soliditas; promittens in sequenti tempore, sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quòd si in aliquo à professione mea dubitare tentauero, his, quos condemnaui, & per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic verò professioni subscripsi manu mea, & direxi perscriptam tibi Hormisdæ, sancto & beatissimo Fratri & Papæ magnæ Romæ.

In Apostolica Sede, integra deuotio est, & perfecta soliditas.

*Dist. 50. 51 ille 3. q. 5. c. nullus 31 q. 2. de neptis tu. e.*

HORMISDAS natione Campanus, sedit annos 8. dies 17. Fuit autem temporibus Theodorici Regis, & Anastasij Augusti. Multa operatus fuit laude digna, exstant enim in libro Pontificali. Qui etiam sepultus fuit in Basilica B. Petri Apostoli 8. Idus Augusti. Decreuit iste (vt Gratianus ait) ne ille qui in monasterio est reclusus vt pœnitentiam agat, ordinetur presbyter, & quòd nullus fidelium occultè nuptias faciat, sed benedictione à Sacerdote accepta nubat publicè in Domino.

## *EX EPISTOLA CONCILII V. generalis Constantinopolitani, ad Agapetum PP. sedentem anno à Christi Natiuitate 545.*

## Tomo 2. Conciliorum.

DOmino nostro per omnia sanctissimo & Beatissimo Patri Patrum Archiepiscopo Romanorū, & Patriarchę Agapeto, ab Episcopis Orientalis dice-

cesis, & ab his, qui sunt sub sanctis locis Christi Dei nostri, nec non ambasiatoribus, & cæteris clericis
Matt. 16. in hac regia vrbe congregatis: Ex quo Christus
Psalm. 36. Deus noster pro debitis nobis præmiis propter ipsum in omni tempore, cum vera fiducia sua inuisibili, ac terribili virtute diuulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requiescere fecit,
Psal. 39. cùm Sedem Apostolorum vobis, Pater beatissime, cõmisit, & firmauit super firmam petram pedes vestros, & direxit gressus vestros, & impleuit os vestrũ cantico, nouo hymno Deo nostro, &c.

De Consec. Distinct. 1. D. Gregor. l. 3. Dial. c. 3. AGAPETVS Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ Papa ordinatur, vir in Ecclesiasticis apprimè eruditus: dum in Italiam reuerti disponit, Constantinopoli obijt 12. Kalendas Iunij. Multa egit præclaris & sanctitatis & virtutis diuinæ significationibus, in quibus illud est, quòd mutum & surdum mirabiliter sanauit corporis Domini administratione, vt D. Gregorius Magnus refert. Huius hæc illa sunt pręconia. Agapetus vas Catholicum, Euangelij tuba, præco iustitiæ, &c.

## *EX SENTENTIA EIVSDEM V. Concilij Generalis contra Anthimum,* To. 2. Conciliorum.

IN talibus enim cùm magnus Imperator seipsum disposuerit, ad memoriámque sibi reuocauerit sententiam Principis Apostolorum,
1. Petr. 3. qua dicit, *Paratos nos semper esse oportere ad respondendum omni petenti rationẽ de ea, quæ in nobis est, spe*, nihil plus iuuit, sed ad eius serenitatem deceptibilibus rationibus vsus, promisit se omnia facere, quæcumque Summus Pontifex

Anthinus se subiicit Romanæ & Apostolicæ Sedi.

magnæ Sedis Apoſtolicę decerneret, & ad ſanctiſſimos Patriarchas ſcripſit, ſe ſequi per omnia Apoſtolicam Sedem.

## *EX EPISTOLA SANCTI FElicis Epiſcopi Siciliæ, ad Gregorium PP. ſedentem anno à Chriſti Natiuitate 594.*
## Tom. 2. Concil.

QVoniam non modicum murmur ſuper hac re nobiſcũ verſatur, quid reſpondere fratribus & Coëpiſcopis noſtris debeamus, à vobis quaſi à capite reſpõſum quęrimus: ne ſuper his ancipites remaneamus, aut murmur vllum tam noſtris temporibus, quàm poſt inter vos & alios remaneat, rumórque veſter, qui ſemper bonus & optimus fuit, detractionibus laceretur vel ſubrodatur; aut nomen veſtrum (quod abſit) ſuperuenientibus tẽporibus blaſphemetur. Nos autem, quæ recta ſunt, autore Deo, humili corde ſeruantes, vno vinculo charitatis vobis conſtricti, veſtrã religionem in omnibus vt fideles alumni defendentes, à vobis, quę recta ſunt quærimus. Scimus enim, vt ſemper ſanctæ Sedis præſules, primò Apoſtoli, deinde ſucceſſores eorum fecerunt, vos vniuerſalis Eccleſiæ, & maximè Epiſcoporũ, qui oculi propter contemplationem & ſpeculationem vocãtur, Domini curam gerere, ac de religione, & lege veſtra aſſiduè cogitare.

Epiſcopi Oculi vocantur.

GREGORIVS natione Romanus sedit annos 13. mens. 6. dies 10. multa elegantissimè conscripsit, in Euangelia, in Iob, Ezechielē, Pastorale quoque & Dialogorum libros 4 Edidit & alia multa quæ enumerari nequeunt: augmentauit precationem Canonis, & post hæc omnia sepultus est in Basilica B. Petri 12. Mar. Ab ineunte ætate, sanctitate, doctrina, eloquentia, & morum honestate insignis, omnibus pompis mundi relictis monachorum monasterium ingressus est. Doctor fuit Ecclesiæ eximius, qui ob res præclarè gestas, atque Anglos ad fidem Christi conuersos, Magnus est dictus, & Anglorum Apostolus appellatus. Videatur D. Ildefonsus cap. 2. de Viris Illustribus qui miris laudibus eum exornat, ità vt dicat, quòd nihil illi simile demõstrârit antiquitas; vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum, &c. Videatur Synodus Toletana VIII. c. 2.

## *EX DECRETO LATERANENSIS Concilij, in quo B. Gregorius PP. primus, præsedit, sedens anno à Natiuitate Christi* 594. Tom. 2. Concil.

INterdicimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & autoritate Beati Petri Principis Apostolorum, cuius vice huic Ecclesiæ Romanæ presidemus, prohibemus, vt nullus Episcoporum, aut secularium vltra præsumat, &c.

Potestas Summis Pontificibus concessa, hîc insinuatur à D. Grègorio.

## *EX EPISTOLA AGATHONIS PP. sedentis anno* 664. *à Christi Natiuitate, ad Imperatorem scripta: & in VI. Generali Concilio, in Constantinopolitana ciuitate recitata.* Tom. 2. Concil.

POrrigere dignemini clementissimā dexteram Apostolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum vestrorum beatus Petrus Apostolus tradidit, non vt sub modio condatur, sed tuba clariùs in toto orbe præ-

Doctrina, non vt sub modio abscondatur, sed vt luceat tradatur, vt Matthęus, Marcus, & Lucas clamitant.

dicetur: quia eius vera confessio à Patre de cœlis est *Mat. 5.*
reuelata, pro qua à Domino omnium beatus esse *Mar. 4.*
pronuntiatus est Petrus; qui & spiritales oues Ec- *Luca 11.*
clesiæ ab ipso Redemptore omnium, terna commē- *Matth. 16.*
datione, pascendas suscepit, cuius adnitente prę- *Ioan. vlt.*
sidio, hęc Apostolica eius Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius autoritatem, vtpote Apostolorum omnium principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnésque venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi; per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt: hęretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti. *Et paulò post.* Hæc est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Ecclesia Christi, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: Sed, vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab autoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus manet, secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Euangeliis fatus est: *Petre* *Luc. 22.*
*Petre*, inquiens, *ecce Satan expetiuit vt cribaret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Con-

Doctrinā Apostolicā, hæretici semper insecuti sunt, ecōtrà verò Doctores sancti & venerabiles patres venerati atque secuti sunt.

Apostolica ecclesia nunquam errâsse probabitur à tramite Apostolicæ traditionis, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit.

# *EX EPISTOLA SOPHRONII Patriarchæ Hierosolymorum, ad prædictum Concilium VI. in ipso Concilio recitata. Ex eodem,* Tom. 2. Conciliorum.

TAmquam sanctã & cohonorandam suscipio, eiusdémque rectæ fidei propagatricem, & à Deo condonatam, atque à Deo inspiratam Epistolam, magni atque præclari Leonis sanctissimi Romanæ Ecclesiæ; imò omnium quæ sub sole erũt, luminaris: quam diuino manifestè per motus Spiritu contra Eutychen maledictum, & Deo odibilem, desipientémque Nestorium, ad Flauianum laudabilem scripsit regiæ vrbis Episcopum; quam vt firmamentũ rectæ fidei nos instruentem, omnem verò prauitatem hęreticam perimentem, & ab à Deo custoditis atriis nostræ sanctæ Catholicę Ecclesię effugantem: cum qua diuina syllaba & scriptura, & cunctas eius Epistolas & dogmata, tamquam prolata ex ore Petri Principis Apostolorum, amplector, osculor, & veneror, & anima tota complector.

Sophronius Patriarcha Hierosolymorum probat scripta Leonis cõtra Eutychem & Nestoriũ.

# EX EODEM CONCILIO VI. in sermone Concilij, Ad Imperatorem.

VErumtamen vestris diualibus præceptis acquiescentes, tam antiquæ Romę, & Apostolicę summitatis Pontificalis Antistes, qui nos humiles Christi, tamē Sacerdotes atque ministri, ille quidem pro se paginam, eósque, qui eius personam describerent Sacerdotes constituit. Nos autem cum eis omnes simul Deo amabile solium tuę fortitudinis corporaliter circumstetimus. *Item post pauca.* Proinde inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & adinuicem omnes consonantes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri, & Summi PP. dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes. *Item alibi.* Summus autem nobiscum concertabat Apostolorū Princeps, illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & diuini mysterij Sacramentum illustrantem per litteras confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit, charta, & atramētum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.

Agatho successor Petri.

EX

## EX CONCILIO TRIBVRIENsi, in Germania celebrato, anno Christi 895. Tom. 2. Conciliorum.

Sancta Romana & Apostolica Ecclesia, valde honoranda est.

IN memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanā & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, conferamus & pia deuotione toleremus.

FVIT celebratum à 22. Episcopis Germanorum, sub Imperatore Arnulpho, ad reformandos mores & status, non modò clericorum, sed & laicorum, vt videre est in Gratiano per multa Decretorum capit..

## EX CONCILIO LATERAnensi, sub Innocentio PP. III. sedente anno Christi 1215.

Extra de priuileg. & excessibus. Romana Ecclesia mater & magistra omnium fidelium.

ANtiqua Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, An-

tiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, reseruata cuilibet propria dignitate, ità quòd postquàm eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis pontificalis insigne, prçstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.

Pallium patriarch. à Romana Ecclesia.

INNOCENTIVS III. patria Anagninus, vir doctrina & moribus insignis, constat eum quouis genere vitę probatissimum fuisse, dignúmque qui inter SS. Pontifices censeatur: adeò probata eius vita fuit, vt post mortem eius nîl earum rerum quæ in vita egerit, laudauerit, improbaueritque immutatum fit. Iuuêre autem huius Pontif. virtutem, & doctrinam B. Dominici, vnde Prædicatorum, & Francisci Asisatis sanctitas, vnde Minorum ordo tum originem habuit. Huius temporibus oborta apud Tolosam hęresis est. quam, eodem procurante, B. Dominicus, qui posteà in sanctos relatus est, mira celeritate compescuit, adiuuante etiam Simone Monforti. Multa perquàm doctissimè conscripsit, & moritur Perusij, Pontif. sui anno 18. men. 7. die 16. Hæc Platina. Tempore huius Pontificis Neapolеoni, equo lapsum, & mortuum Hugolino Ostiensi, & Nicolao Tusculano Episcopis, Cardinalibus, astanibus S. P. Dominicus prodigiosè à mortuis excitauit, vt autor est S. Antoninus, & alij qui eius vitam scripserunt.

## EX CONCILIO CONSTANtiensi, celebrato anno Christi 1415. de modo eligendi PP. Tom. 2. Concil.

TEneantur insuper iurare, & iurent dicti Electores, & Cardinales, & alij antequàm ad electionem procedãt, quòd in huiusmodi electionis negotio attendent, quod eis imminebit, cùm de creatione Vicarij Iesu Christi, successoris beati Petri, vniuersalis rectoris

Electio Vicarij Iesu Christi, puris & sinceris mentibus est facienda.

Ecclesiæ, gregis Dominici directoris, puris, & sinceris mentibus, &c.

## *EX CONCILIO BASILIENSI CElebrato anno Christi* 1431. *de electione Summi Pontificis.*

QVoniam salus populi pastor bonus, meritò hāc sanctam Synodum, quantùm pro humanæ legis fieri potest industria, niti decet, vt Romanus Pontifex, qui gregis Dominici primus, & summus est Pastor talis fiat, talísque perseueret, qui cunctarum animarum saluti, ac totius Christiani orbis vtilitati prouideat, & tanto officio dignè satisfaciat.

## *EX CONCILIO FLORENtino celebrato anno Christi* 1438. Tom. 2. Concil.

POst autē aliquot dies frequenti Grecorum conuentu in domo Imperatoris, Latinis absentibus, facto, per plurimam inter Græcos disputationem, lectis Græcorum Doctorum, de Sūmi Pontificis potestate sententiis, definitum fuit, nō solùm Romanam Ecclesiam de Spiritus sancti processione sentire piè, verumetiam ipsi necessitate vr-

gente iure ſuo particulam illam, ex Patre Filióque Symbolo apponere licuiſſe, nec non Romanum Põtificem primatum in vniuerſum orbem tenere, beatíque Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, ac verum Vicarium, & totius Eccleſiæ caput, ac omniũ Chriſtianorum Patrem, & Doctorem eſſe, ipsíque ad paſcendam, regendam, gubernandam vniuerſam Eccleſiam, plenam à Domino noſtro Ieſu Chriſto poteſtatem fuiſſe traditam.

Poteſtas Romani Pontificis, etiam in ijs quæ ſunt de fide approbatur à Græcis.

Summus Pontifex primatum tenet in vniuerſum orbem terræ, ſucceſſórque eſt Beati Petri Apoſtoli, ac eius verus Vicarius, totiúſque Eccleſiæ Caput, Pater, & Doctor.

## EX EODEM PRÆDICTO CONCILIO.

ET hæc definitio habetur in litteris ſanctæ vnionis eiuſdem Concilij, vbi poſt alia, hoc additur. Quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

# INDICIA
# PRIMATVS DIVI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS.

## *EX EPISTOLA I. SANCTI Clementis PP. I. ad Jacobum Fratrem Domini.*

Ecclesiastica negota diligenter debent expleri, non negligenter.

HÆc itaque, Frater chariſſime Iacobe, ab ore ſancti Petri iubentis accepi, tibíque (vt optabas) inſinuare ſtudui, vt ſeruari omnia immaculata præcipias, quia Eccleſiaſtica non oportet negligenter, ſed diligenter expleri negotia. Hæc ergo præcepta nemo credat abſque ſui periculo negligere vel diſſimulare; quia in iudicio Dei ignis æterni tormenta ſuſtinebit, qui Eccleſiaſtica decreta neglexerit.

Ecclesiastica Decreta non debent negligi.

## *EX EPISTOLA II. DIVI CLEmentis PP. Primi, ad eumdem Jacobum.*

HÆc igitur, Frater Iacobe, de ore ſancti Petri iubentis audiui: ſi quis præcepta hæc nō integra cuſtodierit, ſit anathema vſque ad aduentū

DOMINI nostri IESV Christi. Hæc præcepta à sancto Petro Apostolo accepi, & tibi, frater charissime, insinuare curaui, vt seruari omnia præcipias sinè macula. Si quis verò audierit te, vtilis erit minister Iesu Christi. Qui autem non audierit te (imò loquentem Dominum per te) ipse sibi damnationem accipiet.

**Præcepta Summi Pontificis integrè custodiri debent.**

## *EX EPISTOLA EIVSDEM D. Clementis, ad omnes Episcopos, & totum Clerum.*

VRget nos, Fratres, multus amor vester, & religiosa inuitat deuotio, quia debitores sumus, vt quædam vobis scribamus.

## *EX EPISTOLA EIVSDEM ad Ecclesiam Hierosolymitanam.*

QVapropter hęc vobis cauenda mandamus, & doctrinis, & exemplis Apostolorum obedire præcipimus, quia hi qui mandata eorum postponunt, non solùm rei, sed extorres fiunt.

*EX EPISTOLA II. DIVI ANAcleti Papæ primi, ad Episcopos Italiæ.*

ANACLETVS Episcopus vniuersis Episcopis in Italia cōstitutis. Quoniam Apostolicæ Sedi debitam reuerentiam erga me charitas vestra distribuit, & quia plurimum venerationis charissimi filij præbuistis (nam licèt Ecclesiæ in qua sanctus Apostolus residēs docuit, quodammodo nos gubernacula teneamus, tamen profitemur nos honore & sanctitate minores esse, & propterea omnino festinamus, vt ad gloriam eius beatitudinis peruenire possimus) igitur consultationibus vestris pleniùs respondissemus, si licuisset; sed infirmitatis ac reliquarum oppressionum onere pressi, breuiter (prout Dominus tribuit, & vt à beato Petro principe Apostolorum sumus instructi, à quo & presbyter sum ordinatus) scribere vobis (sicut petistis) non denegauimus.

*EX EPISTOLA I. DIVI EVARISTI Papæ primi, sedentis anno Christi 101. ad omnes Episcopos Africanos,* T. 1. Con.

COnsulentibus vobis, Fratres charissimi, quid super his, quæ in vestris continebātur scriptis, visum nobis est, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à Beatis Apostolis nobis traditum, aut custoditum remaneret;

duobus, qui & sepultus est via Nomentana, vbi decollatus est 5. Nonas Maij. Ita Damas. Fuit vir immortali gloria dignissimus, vir sanctissimus, & religionis Christianæ feruentissimus prædicator, multos Romę ad veram fidem induxit, inter hos Senatores aliquot; & viros primarios. Ita Beda, Vsuardus, Ado, & alij.

## EX EPISTOLA D. SIXTI PP. primi & Martyris, sedentis anno Christi 223. ad omnes Episcopos. To. I. Conc.

HIs taliter consideratis, atque cum reliquorum Episcoporum Decretis, tamquã omnium curam gerentes, propter Sedis propriæ apicem decernimus, vt nemo Pontificum, aliquem suis rebus exspoliatum Episcopum, aut à sede pulsum, excommunicare, aut iudicare pręsumat, quia non est priuilegium, quo exspoliari possit iam nudatus. Si quis autem aliter agere præsumpserit, sciat censurã huius Sedis cum omnibus membris suis, sibi non defuturam.

Ità habetur infra in decret. Sixti 2. cui initium, Magno munere. & in decret. PP. Iulij contra Orientales.

Episcopus ab alio Episcopo iudicari vel excõmunicari nõ debet.

SIXTVS natione Romanus de regione Via Lata, sedit ann. 10. mens. 3. dies 21. fuit autem temporibus Adriani, necnon martyrio coronatus. Constituit ipse vt vasa sacra solùm à Ministris sacratis tangerentur, non autem à fœminis; Insuper vt decantaretur SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, in Missa. Sepultus est iuxta corpus B. Petri 8. Idus Aprilis. Ita in lib. Pont. Fuit vir sanctus, insigni morum facilitate, & liberalitate eximia in pauperes. Eius laudes referunt. Optatus Mileuitanus, Platina, Eusebius, & alij.

## EX EPISTOLA D. NICETI Papæ primi, & Martyris, sedentis anno Christi 164. ad Episcopos Galliæ. Tom. I. Concil.

DE ordinationibus verò Episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in Sancti

prędecessoris nostri Anacleti ordinationibus, quædam iam decreta reperimus, scimus enim &c.

ANICETVS natione Syrus, de vico Amiza, sedit annos 11. men. 4. dies 3. Fuit virque temporibus Seueri & Marci, qui etiam obijt Martyr, sepultúsque est in Cœmeterio Calixti, via Appia 15. Kalendas Maias. Ex lib. Pontificali Damasi Papę.

*EX EPISTOLA II. DIVI SOTERIS Papæ primi, sedentis anno Christi 176.*

DIuinis præceptis & Apostolicis monitis informamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu; at si quid vsquam reprehensioni inuenitur obnoxium, celeri solicitudine, ab ignorantiæ imperitia, & pręsumptionis vsurpatione, reuocemus.

SOTER natione Campanus, de ciuitate Fundis, sedit an. 9. men. 6. dies 21. Fuit temporibus Veri & Marci. Constituit ne vlla Monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia. Fuit sepultus in Cœmeterio Calixti, 10. Kal. Mai. vt supra. Ex eodem lib. Dionysius Corinthiorum Episcopus, laudat in eo studium, & beneuolentiam erga Christianos, ad metalla damnatos, Patrem illum appellans indulgentem, clementem in liberos, & ad virtutem incitantem. Hic Pontifex, nomine & re, salutaris Ecclesiæ extitit. Nam præter pietatem singularem, omnibus etiam Christiano Episcopo dignis laudibus enituit. In rebus deliberandis egregij consilij fuit, omnibus placidum & benignum se exhibuit, Ecclesiasticáque eloqnentia insignis est habitus.

*EX EPISTOLA I. D. VICTORIS PP. primi & Martyris, sedentis anno Christi 199. Ad Episcopum Alexandriæ.*

VICTOR Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo & cunctis

fratribus in Alexandria Domino famulantibus, in Domino salutem. Celebritatem sancti Paschæ die Dominica agi debere, & prædecessores nostri iam statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solemniter mandamus, quia non decet, vt membra à capite discrepent, nec contraria gerant, &c.

Dies Paschæ in die Dominica celebrari debet.

VICTOR natione Afer, sedit annos 10. men. duos. dies 10. Fuit autem temporibus Ælij Pertinacis & Seueri. Martyrio coronatur, sepeliturque iuxta corpus B. Petri in Vaticano 5. kal. Augusti. Ex Pontificali lib. Damasi Papæ. Victor iste, meritis, & nomine par, in quo ad æternam gloriam insignes virtutes illuxerunt, Clerum Romanum ordinauit, statuitque inter cętera, vt Baptismus vniuersim in Paschate celebraretur. At, si necessitas vlla emergeret, aut mortis periculum subesset, gentilésve accederent, quocumque tempore, & quauis aqua, siue marina, fluuiali, aut fontana, seu puteali, baptizari posse.

## *EX II. EPISTOLA D. ZEPHErini Papæ primi, sedentis anno Christi 210. Ad Episcopos prouinciæ Ægypti.*
## To: 1. Conciliorum.

TAntam à Domino, huius sanctę Sedis & Apostolicæ Ecclesiæ fundatore, & beato Petro principe Apostolorum, accepimus fiduciam, vt pro vniuersali Christi sanguine redēpta Ecclesia, impigro laboremus affectu, & omnibus Domino famulantibus succurramus & cunctis piè viuentibus Apostolica autoritate opem feramus.

ZEPHERINVS natione Romanus sedit annis 8. mens. 7. dieb. 10. Fuit autem temporibus Antonini & Seueri: sepultus fuit in suo Cœmeterio iuxta Cœmeterium Calixti, via Appia, 7. Kal. Septemb. Ex Damaso & Ciaconio. Martyrio illum sublatum, Beda, Vsuardus, & Ado, & cætera Martyrologia, & communis Ecclesię Catholicæ traditio testantur, quod illi priuatim oportuerit accidisse, vt alijs sępe euenit in pace Ecclesię, olim cùm maiores consueuere martyres appellare omnes, qui, Christianæ confessionis occasio-

ne, supplicia aliquot sustinuissent, licèt per tormenta superstites diem extremum in pace clausissent.

## *EX EPISTOLA D. FABIANI PP. primi, & Martyris, sedentis anno Christi 246. Ad omnes Orientales Episcopos.* Tomo I. Conciliorum.

EXigit dilectio vestra Sedis Apostolicæ consulta, quæ vobis denegare non possumus, nec debemus. Hoc autem & prędecessores nostros multarum regionum Episcopis egisse liquet: & nos, qui in eadem Sede, Domino largiente, collocati sumus, agere debere, fraterna charitas & obedientiæ debitum compellit. Cura est ergo vestræ solicitudini adhibenda, vt ea, quæ sub Apostolis, eorúmque successoribus ordinata, & instigante sancto Spiritu instituta, nec dissimulatio negligere, nec aliqua pręsumptio valeat perturbare.

FABIANVS natione Romanus sedit ann. 14. mens. 11. dies totidem. martyrio coronatur 14. Kal. Februarij. Fuit autem temporibus Maximini & Aphricani, sepultus est in Cœmeterio Calixti, via Appia 13. Kal. Februarij. Hęc Damasus. Eusebius Cæsar. hęc addit in Ecclesiast. histor. lib. 6. c. 21. Cùm vniuersus Ecclesię populus pro Episcopo eligendo in vnum coïsset, subitò per Dei prouidentiam columbam cælitus lapsam, figuram illius ferentem, quę in sancti Spiritus imagine super Iesum descenderat apud Iordanem super caput adstitisse Fabiani. Quo viso hunc esse Episcopatu dignum decreuerunt, eúmque continuò cathedrę impositum, & lęgitimo sacerdotio confirmarunt. Hoc tempore Origenes, cùm tot, tantáque à se scripta, iam edita quę ad duorum millia librorum pertingerent (teste D. Hieronymo) haud facilè corrigere, aut emendare posset, hac vna tantùm via suæ integritati consulere satis arbitratus, rectę fidei confessionem ad Fabianum Pontificem tanquam Catholicæ Ecclesiæ Pręsulem, transmisit. Et cùm à Fabiano Papa in re tanta ad dicendum causam fuisset vocatus, sponte Romam accessit,

ſeipſum, & ſcripta ſua purgaturus. Ita D. Hieronymus in Origene. Videantur etiam Optatus lib. 2. contra Parmen. Nicephorus in Chron. & D. Gregor. Niſſen. in vit. S. Gregorij Thaumaturgi.

## EX EPISTOLA NICÆNI Concilij primi, ad Diuum PP. Silueſtrum, ſedentem anno Chriſti 327.

BEatiſſimo Papæ vrbis Romæ, cum omni reuerentia colendo Silueſtro, Oſius Epiſcopus prouinciæ Hiſpaniæ, ciuitatis Cordubenſis, & Macarius Epiſcopus Eccleſiæ Conſtātinopolitanæ, & Victor & Vincentius Presbyteri vrbis Romæ, ordinati ex directione tua. Quoniam omnia corroborata de diuinis myſteriis Eccleſiaſticæ vtilitatis, quæ ad robur pertinēt ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, ad Sedē tuam Romanam explanata & de Græco redacta ſcribere confitemur, nunc ita ad veſtræ Sedis augmentum accurrimus roborari. Itaque cenſeat veſtra Apoſtolica doctrina Epiſcopos totius veſtræ Apoſtolicę Vrbis, in vnum conuenire, veſtrúmque habere conſilium, ſicut docet myſtica veritas, vt firmetur noſtra ſanctimonia, gradúſque fixos vel textus ordinationis tuæ ſanctimoniæ noſtra poſſit habere regula; quoniam decet numerum dictorum tuorum Epiſcoporum à te diſcere gradus, fortè vel ordines conſtituere vrbis. Quicquid autem conſtituimus in Concilio Nicęno, precamur veſtri oris cōſortio cōfirmetur. Oret Beatitudo tua pro vniuerſo Cōcilio.

tiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, reseruata cuilibet propria dignitate, ità quòd postquàm eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis pontificalis insigne, prȩstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.

Pallium patriarch. à Romana Ecclesia.

INNOCENTIVS III. patria Anagninus, vir doctrina & moribus insignis, constat eum quouis genere vitȩ probatissimum fuisse, dignúmque qui inter SS. Pontifices censeatur: adeò probata eius vita fuit, vt post mortem eius nîl earum rerum quæ in vita egerit, laudauerit, improbaueritque immutatum sit. Iuuêre autem huius Pontif. virtutem, & doctrinam B. Dominici, vnde Prædicatorum, & Francisci Asisatis sanctitas, vnde Minorum ordo tum originem habuit. Huius temporibus oborta apud Tolosam hȩresis est. quam, eodem procurante, B. Dominicus, qui posteà in sanctos relatus est, mira celeritate compescuit, adiuuante etiam Simone Monforti. Multa perquàm doctissimè conscripsit, & moritur Perusij, Pontif. sui anno 18. men. 7. die 16. Hæc Platina. Tempore huius Pontificis Neapoleonem, equo lapsum, & mortuum Hugolino Ostiensi, & Nicolao Tusculano Episcopis, Cardinalibus, astanibus S. P. Dominicus prodigiosè à mortuis excitauit, vt autor est S. Antoninus, & alij qui eius vitam scripserunt.

## *EX CONCILIO CONSTANTIENSI, celebrato anno Christi 1415. de modo eligendi PP.* Tom. 2. Concil.

TEneantur insuper iurare, & iurent dicti Electores, & Cardinales, & alij antequàm ad electionem procedãt, quòd in huiusmodi electionis negotio attendent, quod eis imminebit, cùm de creatione Vicarij Iesu Christi, successoris beati Petri, vniuersalis rectoris

Electio Vicarij Iesu Christi, puris & sinceris mentibus est facienda.

Ecclesiæ, gregis Dominici directoris, puris, & sinceris mentibus, &c.

## EX CONCILIO BASILIENSI CElebrato anno Christi 1431. de electione Summi Pontificis.

QVoniam salus populi pastor bonus, meritò hãc sanctam Synodum, quantùm pro humanæ legis fieri potest industria, niti decet, vt Romanus Pontifex, qui gregis Dominici primus, & summus est Pastor talis fiat, talísque perseueret, qui cunctarum animarum saluti, ac totius Christiani orbis vtilitati prouideat, & tanto officio dignè satisfaciat.

## EX CONCILIO FLORENtino celebrato anno Christi 1438. Tom. 2. Concil.

POst autẽ aliquot dies frequenti Grecorum conuentu in domo Imperatoris, Latinis absentibus, facto, per plurimam inter Græcos disputationem, lectis Græcorum Doctorum, de Sũmi Pontificis potestate sententiis, definitum fuit, nõ solùm Romanam Ecclesiam de Spiritus sancti processione sentire piè, verumetiam ipsi necessitate vr-

gente iure suo particulam illam, ex Patre Filióque Symbolo apponere licuisse, nec non Romanum Pōtificem primatum in vniuersum orbem tenere, beatíque Petri Principis Apostolorum successorem, ac verum Vicarium, & totius Ecclesiæ caput, ac omniū Christianorum Patrem, & Doctorem esse, ipsíque ad pascendam, regendam, gubernandam vniuersam Ecclesiam, plenam à Domino nostro Iesu Christo potestatem fuisse traditam.

Potestas Romani Pontificis, etiam in ijs quæ sunt de fide approbatur à Græcis.

Summus Pontifex primatum tenet in vniuersum orbem terræ, successórque est Beati Petri Apostoli, ac eius verus Vicarius, totiúsque Ecclesiæ Caput, Pater, & Doctor.

## EX EODEM PRÆDICTO CONCILIO.

ET hæc definitio habetur in litteris sanctæ vnionis eiusdem Concilij, vbi post alia, hoc additur. Quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

# INDICIA
# PRIMATVS DIVI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS.

## *EX EPISTOLA I. SANCTI Clementis PP. I. ad Iacobum Fratrem Domini.*

Ecclesiastica negota diligenter debent explēri, non negligenter.

HÆc itaque, Frater chariſſime Iacobe, ab ore ſancti Petri iubentis accepi, tibique (vt optabas) inſinuare ſtudui, vt ſeruari omnia immaculata præcipias, quia Eccleſiaſtica non oportet negligenter, ſed diligenter expleri negotia. Hæc ergo præcepta nemo credat abſque ſui periculo negligere vel diſſimulare; quia in iudicio Dei ignis æterni tormenta ſuſtinebit, qui Eccleſiaſtica decreta neglexerit.

Eccleſiaſtica Decreta non debent negligi.

## *EX EPISTOLA II. DIVI CLEmentis PP. Primi, ad eumdem Iacobum.*

HÆc igitur, Frater Iacobe, de ore ſancti Petri iubentis audiui: ſi quis præcepta hæc nō integra cuſtodierit, ſit anathema vſque ad aduētū

DOMINI nostri IESV Christi. Hæc præcepta à sancto Petro Apostolo accepi, & tibi, frater charissime, insinuare curaui, vt seruari omnia præcipias sinè macula. Si quis verò audierit tē, vtilis erit minister Iesu Christi. Qui autem non audierit te (imò loquentem Dominum per te) ipse sibi damnationem accipiet. Præcepta Summi Pontificis integrè custodiri debent.

## *EX EPISTOLA EIVSDEM D. Clementis, ad omnes Episcopos, & totum Clerum.*

VRget nos, Fratres, multus amor vester, & religiosa inuitat deuotio, quia debitores sumus, vt quædam vobis scribamus.

## *EX EPISTOLA EIVSDEM ad Ecclesiam Hierosolymitanam.*

QVapropter hęc vobis cauenda mandamus, & doctrinis, & exemplis Apostolorum obedire præcipimus, quia hi qui mandata eorum postponunt, non solùm rei, sed extorres fiunt.

## *EX EPISTOLA* II. *DIVI ANA-cleti Papæ primi, ad Episcopos Italiæ.*

ANACLETVS Episcopus vniuersis Episcopis in Italia cōstitutis. Quoniam Apostolicæ Sedi debitam reuerentiam erga me charitas vestra distribuit, & quia plurimum venerationis charissimi filij præbuistis (nam licèt Ecclesiæ in qua sanctus Apostolus residēs docuit, quodammodo nos gubernacula teneamus, tamen profitemur nos honore & sanctitate minores esse, & propterea omnino festinamus, vt ad gloriam eius beatitudinis peruenire possimus) igitur consultationibus vestris pleniùs respondissemus, si licuisset; sed infirmitatis ac reliquarum oppressionum onere pressi, breuiter (prout Dominus tribuit, & vt à beato Petro principe Apostolorum sumus instructi, à quo & presbyter sum ordinatus) scribere vobis (sicut petistis) non denegauimus.

## *EX EPISTOLA I. DIVI EVARISTI Papæ primi, sedentis anno Christi* 101. *ad omnes Episcopos Africanos,* T.1.Con.

COnsulentibus vobis, Fratres charissimi, quid super his, quæ in vestris continebātur scriptis, visum nobis est, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à Beatis postolis nobis traditum, aut custoditum remaneret;

duobus, qui & ſepultus eſt via Nomentana; vbi decollatus eſt 5. Nonas Maij. Ita Damaſ. Fuit vir immortali gloria digniſſimus, vir ſanctiſſimus, & religionis Chriſtianæ feruentiſſimus prædicator, multos Romę ad veram fidem induxit, inter hos Senatores aliquot; & viros primarios. Ita Beda, Vſuardus, Ado, & alij.

## *EX EPISTOLA D. SIXTI PP. primi & Martyris, ſedentis anno Chriſti 223. ad omnes Epiſcopos.* To. I. Conc.

HIs taliter conſideratis, atque cum reliquorum Epiſcoporum Decretis, tamquã omnium curam gerentes, propter Sedis propriæ apicem decernimus, vt nemo Pontificum, aliquem ſuis rebus exſpoliatum Epiſcopum, aut à ſede pulſum, excommunicare, aut iudicare pręſumat, quia non eſt priuilegium, quo exſpoliari poſſit iam nudatus. Si quis autem aliter agere præſumpſerit, ſciat cenſurã huius Sedis cum omnibus membris ſuis, ſibi non defuturam.

Ità habetur infra in decret. Sixti 2. cui initium, Magno munere. & in decret. PP. Iulij contra Orientales.

Epiſcopus ab alio Epiſcopo iudicari vel excõmunicari nõ debet.

SIXTVS natione Romanus de regione Via Lata, ſedit ann. 10. menſ. 3. dies 21. fuit autem temporibus Adriani, necnon martyrio coronatus. Conſtituit ipſe vt vaſa ſacra ſolùm à Miniſtris ſacratis tangerentur, non autem à fœminis; Inſuper vt decantaretur SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, in Miſſa. Sepultus eſt iuxta corpus B. Petri 8. Idus Aprilis. Ita in lib. Pont. Fuit vir ſanctus, inſigni morum facilitate, & liberalitate eximia in pauperes. Eius laudes referunt. Optatus Mileuitanus, Platina, Euſebius, & alij.

## *EX EPISTOLA D. NICETI Papæ primi, & Martyris, ſedentis anno Chriſti 164. ad Epiſcopos Galliæ.* Tom. I. Concil.

DE ordinationibus verò Epiſcoporum, ſuper quibus nos conſulere voluiſtis, olim in Sancti

prędecessoris nostri Anacleti ordinationibus, quædam iam decreta reperimus, scimus enim &c.

ANICETVS natione Syrus, de vico Amiza, sedit annos 11. men. 4. dies 3. Fuit virque temporibus Seueri & Marci, qui etiam obijt Martyr, sepultúsque est in Cœmeterio Calixti, via Appia 15. Kalendas Maias. Ex lib. Pontificali Damasi Papę.

*EX EPISTOLA II. DIVI SOTERIS Papæ primi, sedentis anno Christi 176.*

DIuinis præceptis & Apostolicis monitis informamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu; at si quid vsquam reprehensioni inuenitur obnoxium, celeri solicitudine, ab ignorantiæ imperitia, & pręsumptionis vsurpatione, reuocemus.

SOTER natione Campanus, de ciuitate Fundis, sedit an. 9. men. 6. dies 21. Fuit temporibus Veri & Marci. Constituit ne vlla Monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia. Fuit sepultus in Cœmeterio Calixti, 10. Kal. Mai. vt supra. Ex eodem lib. Dionysius Corinthiorum Episcopus, laudat in eo studium, & beneuolentiam erga Christianos, ad metalla damnatos, Patrem illum appellans indulgentem, clementem in liberos, & ad virtutem incitantem. Hic Pontifex, nomine & re, salutaris Ecclesiæ extitit. Nam præter pietatem singularem, omnibus etiam Christiano Episcopo dignis laudibus enituit. In rebus deliberandis egregij consilij fuit, omnibus placidum & benignum se exhibuit, Ecclesiasticáque eloquentia insignis est habitus.

*EX EPISTOLA I. D. VICTORIS PP. primi & Martyris, sedentis anno Christi 199. Ad Episcopum Alexandriæ.*

VICTOR Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo & cunctis

fratribus in Alexandria Domino famulantibus, in Domino salutem. Celebritatem sancti Paschæ die Dominica agi debere, & prædecessores nostri iam statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solemniter mandamus, quia non decet, vt membra à capite discrepent, nec contraria gerant, &c.

Dies Paschæ in die Dominica celebrari debet.

VICTOR natione Afer, sedit annos 10. men. duos. dies 10. Fuit autem temporibus Ælij Pertinacis & Seueri. Martyrio coronatur, sepelitúrque iuxta corpus B. Petri in Vaticano 5. kal. Augusti. Ex Pontificali lib. Damasi Papæ. Victor iste, meritis, & nomine par, in quo ad æternam gloriam insignes virtutes illuxerunt, Clerum Romanum ordinauit, statuítque inter cętera, vt Baptismus vniuersim in Paschate celebraretur. At, si necessitas vlla emergeret, aut mortis periculum subesset, gentilésve accederent, quocumque tempore, & quauis aqua, siue marina, fluuiali, aut fontana, seu puteali, baptizari posse.

## *EX II. EPISTOLA D. ZEPHERINI Papæ primi, sedentis anno Christi 210. Ad Episcopos prouinciæ Ægypti.* To: 1. Conciliorum.

TAntam à Domino, huius sanctę Sedis & Apostolicæ Ecclesiæ fundatore, & beato Petro principe Apostolorum, accepimus fiduciam, vt pro vniuersali Christi sanguine redēpta Ecclesia, impigro laboremus affectu, & omnibus Domino famulantibus succurramus & cunctis piè viuentibus Apostolica autoritate opem feramus.

ZEPHERINVS natione Romanus sedit annis 8. mens. 7. dieb. 10. Fuit autem temporibus Antonini & Seueri: sepultus fuit in suo Cœmeterio iuxta Cœmeterium Calixti, via Appia, 7. Kal. Septemb. Ex Damaso & Ciaconio. Martyrio illum sublatum, Beda, Vsuardus, & Ado, & cætera Martyrologia, & communis Ecclesię Catholicæ traditio testantur, quod illi priuatim oportuerit accidisse, vt alijs sępe euenit in pace Ecclesię, olim cùm maiores consueuere martyres appellare omnes, qui, Christianæ confessionis occasio-

ne, supplicia aliquot sustinuissent, licèt per tormenta superstites diem extremum in pace clausissent.

## *EX EPISTOLA D. FABIANI PP. primi, & Martyris, sedentis anno Christi 246. Ad omnes Orientales Episcopos.* Tomo I. Conciliorum.

EXigit dilectio vestra Sedis Apostolicæ consulta, quæ vobis denegare non possumus, nec debemus. Hoc autem & prędecessores nostros multarum regionum Episcopis egisse liquet: & nos, qui in eadem Sede, Domino largiente, collocati sumus, agere debere, fraterna charitas & obedientiæ debitum compellit. Cura est ergo vestræ solicitudini adhibenda, vt ea, quæ sub Apostolis, eorúmque successoribus ordinata, & instigante sancto Spiritu instituta, nec dissimulatio negligere, nec aliqua pręsumptio valeat perturbare.

FABIANVS natione Romanus sedit ann. 14. mens. 11. dies totidem. martyrio coronatur 14. Kal. Februarij. Fuit autem temporibus Maximini & Aphricani, sepultus est in Cœmeterio Calixti, via Appia 13. Kal. Februarij. Hęc Damasus. Eusebius Cæsar. hęc addit in Ecclesiast. histor. lib. 6. c. 21. Cùm vniuersus Ecclesię populus pro Episcopo eligendo in vnum coïsset, subitò per Dei prouidentiam columbam cælitus lapsam, figuram illius ferentem, quę in sancti Spiritus imagine super Iesum descenderat apud Iordanem super caput adstitisse Fabiani. Quo viso hunc esse Episcopatu dignum decreuerunt, eúmque continuò cathedrę impositum, & lęgitimo sacerdotio confirmarunt. Hoc tempore Origenes, cùm tot, tantáque à se scripta, iam edita quę ad duorum millia librorum pertingerent (teste D. Hieronymo) haud facilè corrigere, aut emendare posset, hac vna tantùm via suæ integritati consulere satis arbitratus, rectę fidei confessionem ad Fabianum Pontificem tanquam Catholicæ Ecclesiæ Pręsulem, transmisit. Et cùm à Fabiano Papa in re tanta ad dicendum causam fuisset vocatus, sponte Romam accessit,

seipsum, & scripta sua purgaturus. Ita D. Hieronymus in Origene. Videantur etiam Optatus lib. 2. contra Parmen. Nicephorus in Chron. & D. Gregor. Nissen. in vit. S. Gregorij Thaumaturgi.

# EX EPISTOLA NICÆNI Concilij primi, ad Diuum PP. Siluestrum, sedentem anno Christi 327.

BEatissimo Papæ vrbis Romæ, cum omni reuerentia colendo Siluestro, Osius Episcopus prouinciæ Hispaniæ, ciuitatis Cordubensis, & Macarius Episcopus Ecclesiæ Constātinopolitanæ, & Victor & Vincentius Presbyteri vrbis Romæ, ordinati ex directione tua. Quoniam omnia corroborata de diuinis mysteriis Ecclesiasticæ vtilitatis, quæ ad robur pertinēt sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, ad Sedē tuam Romanam explanata & de Græco redacta scribere confitemur, nunc ita ad vestræ Sedis augmentum accurrimus roborari. Itaque censeat vestra Apostolica doctrina Episcopos totius vestræ Apostolicę Vrbis, in vnum conuenire, vestrúmque habere consilium, sicut docet mystica veritas, vt firmetur nostra sanctimonia, gradúsque fixos vel textus ordinationis tuæ sanctimoniæ nostra possit habere regula; quoniam decet numerum dictorum tuorum Episcoporum à te discere gradus, fortè vel ordines constituere vrbis. Quicquid autem constituimus in Concilio Nicęno, precamur vestri oris cōsortio cōfirmetur. Oret Beatitudo tua pro vniuerso Cōcilio.

SILVESTER natione Romanus, annis IV. sedit, vt existimat Marianus Scotus, & secundùm alios, 23. mens. 10. dies 11. Fuit autem temporibus Constantini & Volusiani. Postquàm in exilio fuit, reuersus est cum gloria. Multa fecit notatu digna: & multò plura in huius temporibus Constantinus Augustus. Fuit autem sepultus via Salaria in cœmeterio Priscillę, pridie Kal. Ianuarij. Ità Damasus in lib. Pontif. sed ante obitum suum multa pius Christi Confessor, & patrator miraculorum, pro magno Christianorum grege subijt certamina. Inter alia, ipsum Constantinum Imperatorem ad fidem conuertit, & à lepra horrida curauit, humana arte insanabili. Et dum sacro lauacro ablueretur, visibili signo diuinum numen cęlesti fulgore coruscans apparuit, & manum sibi porrigere visus est Christus, qui non solùm sordes animę eluit, sed & lepræ protinus contagio eripuit; squamis toto corpore defluentibus, vsque adeò, vt miraretur, ipsne esset, qui anteà fuerat Constantinus.

## *EX RESCRIPTO EPISCOPORUM Africæ, ad Diuum Siricium Papam sedentem anno à Natiuitate Christi 403.*

RECOGNOUIMUS litteris sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues, & pia solicitudine Christi ouile custodias, dignus quem oues Domini audiant & sequantur; & ideò, quia nôsti ouiculas Christi, lupos facilè deprehendere & occurris quasi prouidus Pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralíque vlulatu Dominicum ouile dispergãt, laudamus hoc, Domine nobis frater dilectissime, & toto concelebramus affectu.

SIRICIUS natione Romanus, sedit annis 15. mens. 11. diebus 25. sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria 8. Kalen. Martij. Ita Damasus. Anno quinto Pontificatus Siricij, Beata Monica, sanctissimi Patris nostri Augustini mater, apud Ostia Tiberina, sexto & quinquagesimo ætatis suæ anno, vita defuncta est, 4. Nonas Maij. Translatum eius corpus, quæsitum diligenter, & inuentum in vrbem Romam, post mille ferè annos, ex Ostijs Tiberinis, die nono Aprilis, sub Martini Pontificatus annum 3.

# EX EPISTOLA CONCILII Carthaginensis ad Diuum Innocentium PP. primum, sedentem anno Christi 423. Tom. I. Concil.

HOc itaque gestum, Domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur autoritas, pro tuenda salute multorum, & quorumdam etiam peruersitate corrigenda.

INNOCENTIVS natione Albanus, sedit annis 15. mensibus 2. diebus 21. sepultúsque est in cœmeterio Priscillæ 5. Kal. Iulij. Ita Damasus. Huius Pontificis sanctitatem, in epistolis ad eum scriptis Basilius Magnus admiratur: quæ manuscriptæ in Vaticana Bibliotheca exstant. In Martyrologio Romano Marty: legitur. Quo nomine is fortasse appellatus est, ob admirabilem virtutem, summam constantiam cum martyrum fortitudine comparandam: quam in omni pro fidei defensione, próque Ecclesia tuenda, certamine præstitit, vt res eius gestæ indicant: præclarúmque testimonium dant, Chrysostomus, Palladius Helenopolitanus illius discipulus, Theophilus Alexandrinus, S. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem. S. Augustinus in multis Epistolis: in vna præcipuè ex ijs quas ad ipsum Innocentium scribit, cum Beatissimum, & meritò Venerabilem, & in Christo venerandum Papam, vocat, eúmque præcipuo Domini munere in Sede Apostolica collocatum testatur.

# EX EPISTOLA CONCILIJ Mileuitani, ad prædictum Diuum Innocentium.

QVia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, talémque nostris temporibus præstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam

meantium sermo perferret, ratio pietatis exigit, vt pro solicitudine, quam vniuersæ Ecclesię ex diuina institutione deprehendimus, rerum fidem studeremus agnoscere.

## *EX EPISTOLA TARRACONENsium Episcoporum ad Beatum Hilarium PP. sedentem anno Christi 487.* Tom. I. Concil.

ERgo prouinciali litterario sermone debita coronę vestræ obsequia deferentes, his quæsumus, vt dignatione, qua cæteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime & Apostolica reuerentia in Christo à nobis colende Pater, illud specialiùs deprecantes, vt factum nostrum, quod tam voto penè omnis prouinciæ, quàm exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris, roborare dignemini. *Et paulò post.* Ergo suppliciter precamur Apostolatum vestrũ, vt humilitatis nostræ Decretum, quod iustè à nobis videtur factum, vestra autoritate firmetis.

HILARIVS natione Sardus sedit ann. 6. mens. 3. dies 10. Multa doctissimè conscripsit vt videre est in eius libris, pluráque Ecclesijs dedit, póstque sepultus est ad S. Laurentium, iuxta corpus Beati Sixti. Ita Damas. Hic, opum neglectu, & consiliorum magnitudine, inter sublimes Pontifices effulsit, & meritis almus, Angelorum colloquium, & salutationem meruit, eleemosynásque copiosas (vbi opus erat) elargitus est. Egítque in omnibus quæ ad optimum Pontificem pertinebant, docendo, admonendo, & castigando. Anno Hilarij Papæ 5. Romæ, in Synodo habita, decretum est ne Pontifices, aut alius quiuis Ecclesiasticus successorem sibi eligeret. Quod Gratianus retulit in Decreta. 7. q. 1. remoto. & 25. q. 1. nulli. 8. q. 7. plęrique.

## EX RESCRIPTO ACATII Episcopi Ecclesiæ Alexandrinæ, ad Simplicium PP. sedentem anno Christi 497. Tom. I. Conciliorum.

SOlicitudinem omnium Ecclesiarum secundùm Apostolum circũferentes, nos indesinenter hortamini, quamuis sponte vigilantes ac percurrentes; sed vos diuino zelo solicitos demonstrastis, statum Alexandrinę Ecclesię certiùs requirentes, vt pro paternis canonibus suscipiatis laborem, piissimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum. 2. Cor. 11.

SIMPLICIUS natione Tiburtinus sedit ann. 15. mensem 1. dies 7. sepultus verò fuit in Basilica B. Petri Apostoli 6. Nonas Martij. Res ab isto Præsule sanctissimo gestas, Anastasius Bibliothecarius in libro de Romanis Pontificibus refert. Anno viij. huius Pontificis, Mamercus Episcopus Viennensis in Gallia, cùm Vienna crebris terręmotibus cõcuteretur, & ignes nocturni, publicos & priuatas domos exurerent; & feræ, & cerui pauidi ex siluis & agris, ad fora ciuitatis penetrarent, ad sedandam & placandam iram diuinam, primus preces instituit, quas Græci Litanias vocant, quibus cessarunt ærumnæ illæ, deinde reliquus orbis imitatus est, Catholica, & vniuersali Ecclesia, huiusmodi sacrum Rogationũ vsum recipiente. Concilium autem Aurelianense. c. 29. Rogationes, seu Litanias ante Ascensionem Domini, triduano ieiunio præcedente celebrandas iniunxit.

## *EX EPISTOLA MARIAni Presbyteri & aliorum Orientalium, ad sanctum Agapetum PP. sedentem, anno 545. à Christi Natiuitate.*

Ezech. 34. ISti enim pascunt, non oues, sed seipsos, & iudicium abominantes, & omnia recta peruertentes, ad nihilum posuerunt insidias, quæ fiunt contra Ecclesiam, & blasphemiam contra sanctos Patres. Quam defendentes, beatissime, suscipite nostram supplicationem, & potestatem vobis à Deo datam in ipsos mouentes, purgate Dei Ecclesiam, & à lupis liberate, immittentes ipsis non pastoralem, sed disciplinatiuam virgam vestram.

AGAPETVS natione Romanus, sedit menses 11. dies 18. vas Catholicum eum appellat Gratianus, de cons. dist. 1. Agapetus Euangelij tuba, præco iustitiæ, eò quòd constantissimè pro fidei Catholicæ veritate, cum Imperatore Iustiniano Augusto altercaretur, qui duas negabat naturas in Domino nostro Iesu Christo esse. Et dum contentio versaretur, ità Dominus adfuit, vt cùm audiret Imperatorem sibi dicentem, aut consenti nobis, aut exsilio deportari te faciam: beatissimus Papa cum gaudio respondit ad Imperatorem, dicens: minas tuas non pertimesco. Ego quidem precator ad Iustinianum Imperatorem Christianissimum venire desideraui, nunc autem Diocletianum inueni. Demum post multa ipsum Imperatorem conuertit, ipséq; se humiliauit Sedi Apostolicæ, & adorauit Beatiss. Agapetum, defunctus est Constantinopoli, & translatum eius corpus Romam, sepultum est in Basilica B. Petri Apostoli 12. Kal. Octobris.

## *EX CONCILIO TOLETANO XIV. celebrato anno circiter à Christi Natiuitate* 260. Tom. 2. Concil.

D. Gregorius PP. ſua doctrina Eccleſias illuſtrauit & docuit.

QVid à nobis in Sacramenti diuerſitate faciendum ſit, Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtitutionem ſequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui non ſolùm partes Italiæ illuſtrauit, ſed, & longè exiſtentes Eccleſias, ſua doctrina perdocuit, &c.

## *EX EPISTOLA BONIFACII Episcopi ad Zachariam PP. ſedentem anno Chriſti* 734. Tom. 2. Concil.

HÆc tria loca, propria charta, autoritate Apoſtolatus veſtri roborari, & confirmari diligenter poſtulamus, vt (ſi Dominus voluerit) per autoritatem, & præceptum ſancti Petri, iuſſionibus Apoſtolicis fundatæ, & ſtabilitæ ſint tres in Germania Epiſcopales ſedes, & vt prçſentes, vel futurę generationes non præſumãt, vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Apoſtolicæ Sedis.

ZACHARIAS natione Græcus, sedit ann. 10. menses 3. dies 14. Vir mitissimus atque suauis fuit, omníque bonitate ornatus, amator Cleri, & totius populi Romani. Fuit tardus ad irascendum, velox verò ad miserendum, nulli malum pro malo reddidit, neque vindictæ sibi meritum tribuit, sed pius & misericors cum omnibus fuit. Omnibus omnia factus est à tempore suæ ordinationis, & suis anteà persecutoribus bona pro malis reddidit, eósque honorauit ditauítque: Fecit enim mirabilia in vita sua, monstra placauit, hoc est, Reges qui totam Italiam, simúlque Ducatum Romanum turbabant, persequebantúrque. Huius denique temporibus in magna securitate & lætitia populus à Deo illi commissus degens, vitam duxit. Hic beatissimus Pater suo præstantissimo ingenio, studióque, quos beatæ recordationis Gregorius PP. fecit 4. Dialogorum libros, de Latino in Græcum transtulit eloquio: & plures qui Latinam ignorant linguam, per eorum illuminauit lectionem atque historiam. Sepultus fuit ad B. Petrum Apostolum, Idibus Martij, Indictione 5. & inter optimos Pontifices, & Sanctos annumeratus est, qui quamdiu vixit, ne quid detrimenti Romana respublica caperet curauit.

## *EX DECRETO D. GREGORIJ Papæ septimi, sedentis anno Christi 1072.* Tom. 2. Concil.

DVm hæc Romæ agerentur, Henricus scilicet Imperator, cum Saxonibus hostibus feliciter pugnans, adeò felicitate illa elatus est, vt habito conuentu apud Vvormaciam, Sizifredo Archiepiscopo Moguntino negotium procurante, interdicere omnibus ausus sit, ne vlla in re Pontifici Romano obtemperarent. Ex illo autem conuentu, mandato Henrici Romandus Clericus Parmensis Romam veniens, &c. *Et post pauca.* Tum Gregorius tantam iniuriam diuinæ maiestatis causa non diutius ferens, & Sizifredum alióſque Clericos cum Henrico sentientes dignitatibus ac beneficiis priuauit, Impera-

torem ipsum anathemate notauit, priuatum prius omni regia administratione. *Et postmodum*. Instabant tamen ex his qui aderant nonnulli, Regem non ità citò anathematizandum esse. Quibus ita Pontifex respondit, quando (inquit) Christus Ecclesiam suam B. Petro commisit, & dixit. *Pasce oues meas*, ex- *Ioan. 21.*
cepítne Reges? nam cùm eidem ligandi & soluendi *Matt. 16.*
potestatem daret, nullum excepit, vel neminem eius potentiæ subtraxit. Hanc ob rem, qui dicit se vinculo Ecclesiæ ligari non posse, restat etiam vt fateatur se absolui ab eius potestate nullo modo posse, & qui hoc imprudenter negat, à Christo & Ecclesia eius se omnino seiungit.

Nullus est qui potentiæ Summi Pontificis non subjaceat, etiam Reges quicumque.

GREGORIVS septimus natione Hetruscus, omnium bonorum consensu Pontifex creatur. Fuit vir magnæ pietatis, multę doctrinæ, prudentię, iustitiæ, constantię, & religionis. Fuit modestus, continens, sobrius, domum suam bene gubernans, quapropter, ea potestate Ecclesiæ Dei præesse voluerunt, qua B. Petrus Dei mandato quondam præfuit. Post multa bella, multósque perpessos labores, Pontificatus sui anno 12. mense vno, diebus tribus, sanctè & piè moritur. Vir certè Deo gratus, prudens, iustus, clemens, pauperum, pupillorum, viduarum patronus, atque vnicus Ecclesię Romanæ fortissimus & acerrimus defensor contra hæreticorum improbitatem & malorum principum potentiam, res Ecclesiasticas per vim occupare conantium. Huius Gregorij viri celeberrimi, & maximè memorabilis vitam quinque libris conscripsit Onuphrius Panuinius, vt ipse testatur. Hunc maximum Pontificem totius Ecclesiasticæ libertatis vnicum assertorem fuisse constat. Multa de hoc Pontifice scribit Lambertus Schafnaburgensis Monachus Herueldensis. Leo Episcopus Ostiensis, Historiæ Cassin. lib. 3. & Otho Episcopus Frisingensis, lib. Historiæ 6. & 7. & alij complures.

# ANIMADVERSIO
## DE SVCCESSIONE SVMMORVM Pontificum, sed præcipuè eorum qui in hoc Fasciculo aureo citantur.

*Clemens.* DE successione S. CLEMENTIS PP. I. Optatus Mileuitanus lib. 2. Nicephorus lib. 3. c. 18. Marian. Scot. in Concilijs; Damasus, & alij. Præsertim Ioannes Franciscus Bordinus Archiepiscopus Auenionensis.

*Anacletus.* De successione S. ANACLETI PP. tractant S. Damasus, D. Augustinus, Epistola 165. ad Generosum. Optatus Mileuit. lib. 2. Marian. Scot. ibidem.

*Lucius.* De successione LVCII PP. agunt Eusebius, historiæ lib. 7. c. 2. & in Chron. S. Hieronymus, de scriptoribus Ecclesiasticis, in Com. D. August in Epistola supradicta, S. Cyprianus Epistola 28. 58. & 67. & lib. 3. Epistol. 1. Eusebius lib. 7. c. 1.

*Marcellus.* De successione S MARCELLI PP. scribunt D. Augustinus Epist. 165. Opta. Mileuita. lib. 2. contra Parmenianum, Nicephorus Callistus, & Eusebius in Chronico.

*Marcus.* De successione S. MARCI PP. post Siluestrum, tractant Optatus Mileuitanus, lib. 2. contra Parme. D. August. Epistol. 165. Rufinus lib. 2. cap. 19. Sozomenus, & Nicephorus in Chronico.

*Iulius.* De successione IVLII PP. agunt Sozomenus lib. 2. c. 29. Optatus Mileuitanus, D. Augustinus, & alij.

*Liberius.* De successione LIBERII PP. scribunt liber vetustus de Romanis Pontificibus, Optat. Mileuita. Episcopus, S. August. Sozomenus, lib. 6. c. 23. & Nicephorus in Chronico.

*Felix.* De successione FELICIS PP. tractant B. Damasus, in lib. Pontificali, Marian. Scot. & alij plures. Videatur etiam Theodorus Lector, Collectionum lib. 2.

*Damasus.* De successione S. DAMASI, tractant D. Ambrosius liber Pontificum, Lucius lib. 2. c. 10. D. Hieronymus lib. de viris Illustr. Sozomenus, Nicephorus, Socrates, & alij.

*Leo.* De successione S. LEONIS PP. agunt Illustrissimus Cardinalis Baronius

ronius. tom. 6. Annal. in vita illius. Sophronius Hierosolymitanus, & Eusebius Mediolanensis.

*Hilarius.* De successione B. HILARII, tractatur in tabulis Ecclesiasticis, & in antiquis Martyrologijs: agit etiam Anastasius Bibliothecarius, & alij quamplures.

*Hormisda.* De successione HORMISDÆ PP. scribunt S. Remigius Rhemensis Episcopus, congratulans de Pontificatu illius, Hincmarus etiam Rhemensis Episcopus, in vita S. Remigij, tom. 1. die 13. Ianuarij, & Anastasius in lib. de Rom. Pontificibus.

*Agapetus.* De successione AGAPETI PP. agunt Liberius in Breuiario, Damasus, Marian. Scot. D. Gregorius Maximus, & alij plurimi. Præcipuè Archiepiscopus Bordinus de gestis Pontif.

*Gregorius.* De successione B. GREGORII Magni PP. tractant S. Ildefonsus de Viris Illustribus, Damasus in lib. Pontif. Marian. Scot. & alij: In anno 7. Gregorij, natus fuit in Arabia seductor ille Mahometus, pseudo-Propheta, pernicies totius penè orbis.

*Agatho.* De successione AGATHONIS PP. agunt Damasus PP. in libro Pontif. Marian. Scot. Platina, Ciaconius, & inter alios Ioannes Franciscus Bordinus Archiepiscopus Auenionensis, in lib. nuper edito, de gestis Pontificum, ex libris Doctissimi Cardinalis Baronij.

*Innocẽtius* De successione INNOCENTII PP. I. agunt D. Prosper, Marcellinus, Nicephorus in Chronicis, Ioannes Franciscus Bordinus de gestis Pontificum, Cassiodorus in Chronico. Item de hoc agitur in lib de Romanis Pontificibus.

*Euaristus.* De successione EVARISTI PP. tractant Irenæus libro 3. cap. 3. Epiphanius Heres. 27. Eusebius in Chronico, & histor. lib. 4. cap. 28. Optatus Mileuitanus, lib. 2. D. August. Epist. 165. Ioannes Bordinus, Damasus & alij.

*Alexãder.* De successione ALEXANDRI PP. agunt D. Augustinus Epistola ad Generosum, Irenæus lib. 3. c. 3. Epiphanius Hæresi. 17. Eusebius in Chronico. Ioannes Bordinus, & alij.

*Sixtus.* De successione SIXTI. PP. & Martyris, scribunt Damasus in Pontificali, Irenæus aduersùs Hereses lib. 3. c 3. Eusebius in Chronic. & histor. lib. 4. c. 4. Optat. lib. 2. D. August. Epistola 165. Plat. in Sixto. Bordinus Archiepiscopus, & alij.

*Anicetus.* De successione ANICETI PP. agunt Ioannes Bordinus Archiepiscopus Auenionensis, Marian. Scot. Damasus PP in libro Pontificali. Iste ordinauit ne Clericus vlla ratione comam nutriret, & vt in verticis capite coronam instar spherulæ gestaret.

*Soter.* De successione SOTERIS PP. tractãt D. Irenæus contra Hæres. lib. 3. c. 3. Euseb. in Chronic. & histor. lib. 4. cap. 22. Optat. lib. contra

Parm. D. August. ad Generosum, Ioannes Bordinus de gestis Pontif.

*Victor.* De successione VICTORIS PP. agunt D. Hieronymus de scriptoribus Eccles. Euseb. in Chronic. Cęsar Baron. 2. tom. Annal. & eius compilator Ioannes Bordinus, in lib. de gestis Pontif. Damasus & alij.

*Zepherinus* De successione ZEPHERINI PP. tractant Eusebius in Chronic. lib. 6. c. 15. Optatus lib. 2. D. August. Epist. 165. Nicephorus Callist. lib. 4. c. 10. Ioannes Bordinus, & alij.

*Fabianus.* De successione FABIANI PP. præter librum de Romanis Pontificibus, agunt Optat. Mileuita lib. 2. Eusebius in Chronico, & histor. lib. 6. c. 22. D. August. Epist. 165. Nicephor. in Chron. Ioannes Bordinus, & Damasus, cum alijs quamplurimis.

*Siricius.* De successione SIRICII PP. agunt Optat. Mileuit. lib. 2. D. August. Epist. 165. S. Hieronymus, Bordinus, & alij.

*Siluester.* De successione B. SILVESTRI PP. agunt Euseb. in Chronic. Optat. contra Parm. August. Epist. 165. Niceph. in Chron. Bordinus, Damasus, & alij.

*Hilarius.* De successione HILARII PP. tractant Cæsar Baronius, & eius compilator Bordinus, Damasus, & alij.

*Simplicius.* De successione SIMPLICII PP. Eusebius in Chronic. Optatus contra Parm. August. Epist. 165. Niceph. in Chron. Bordinus, Damasus, & alij.

*Zacharias.* De successione ZACHARIÆ PP. tractant Euseb. in Chron. Optat. contra Parm. August. Epist. 165. Niceph. in Chron. Bordinus, Damasus, & alij.

*Gregorius.* De successione GREGORII PP. agunt Damasus, Bordinus, Marian. Scot. & alij, quos omnes videre poterit curiosus Lector, &c.

# SELECTORVM LOCORVM EX DOCTORIBUS Orthodoxis, ſanctiſſimíſque Patribus D. Petri Apoſtolorum principis, ac Pontificum Romanorum eius ſucceſſorum indicantium Primatum,

## LIBER TERTIVS.

*AC PRIMVM EX DIVO Jgnatio Joannis Euangeliſtæ Diſcipulo, & Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopo, poſt Diuum Petrum tertio, qui ſub Traiano martyrij palmam adeptus eſt, anno circiter* 100. *Epiſtola ad Philadelphienſes.*

PRINCIPES ſubditi eſtote Cæſari, milites principibus, Diaconi Presbyteris, vt ſacrorum adminiſtratoribus, Presbyteri verò & Diaconi, atque omnis clerus, ſimul cum omni populo, & militibus, atque princi-

pibus, sed & Cæsares, obediant Episcopo; Episcopus verò Christo, sicut Patri Christus, & ità vnitas per omnia seruetur.

Omnes debent suis superioribus obedire, sed præcipuè Sūmo Pontifici, iste vero Christo.

## *Ex eadem Epistola Diui Ignatij ad Philadelphienses.*

VNa est enim caro Domini Iesu, & vnus sanguis eius, qui pro nobis effusus est, vnus etiā panis pro omnibus confractus, & vnus calix totius Ecclesiæ, & vnus Episcopus simul cum omnibus Presbyteris, & Diaconis.

Ecclesiæ vnus est Episcopus, sicut & Christus vnus est, vnus eius sanguis, & vna caro.

## *EX EPISTOLA EIVSDEM ad Smyrnenses.*

EGo autem dico, honorate quidem Deum, & autorem ouium, & Dominum: Episcopum autem tamquam principem Sacerdotum imaginē Dei ferentem, Principatum quidem secundùm Deum, Sacerdotium verò secundùm Christum, & post hunc honorare oportet etiam Regem; Nemo enim prior est Deo, neque similis ei, neque Episcopo in Ecclesia honorabilior Sacerdotium dicto gerenti pro mundi salute; neque Regi quis similis est in exercitu pacem, & beneuolentiam omnibus cogitanti; qui enim honorat Episcopum, honorabitur à Deo, & qui inhonorauerit eum, inhonorabitur à Deo.

Honorare maximè debemus Deū, deinde Summū Pontificē, nec non & Regem.

# EX HISTORIA ECCLESIAstica Eusebij, librò V. Cap. 24.

SEd ad hęc Victor Romanæ Ecclesiæ Episcopus pertinaciùs agens, passim totius Asię, ac vicinarum prouinciarum Ecclesias à communionis societate abscindere nititur, tamquam in hæresim declinantes, & litteras mittit, quibus omnes simul absque discretione ab Ecclesiastico fœdere segregaret. Sed hoc non omnibus placebat Episcopis, quin potiùs è contrario scribentes ei, iubebant, vt magis quæ pacis sunt ageret, & concordiæ atque vnanimitati studeret. Denique exstant etiam ipsorum litteræ, quibus asperiùs obiurgant Victorem, velut inutiliter Ecclesiæ commodis consulentem. Nam & Irenęus, cum cæteris quibus præerat Galliarum Episcopis, scribens, confirmat quidem, vt in Dominica die Resurrectio Domini celebretur: Victorem tamen arguit, quòd non rectè fecerit, abscindere à corporis vnitate tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent. *Et paulò post.* Post hæc inseritur historia, quę pro sui opportunitate, nec à nobis debet prætermitti. *Denique ait.* Et illi omnes ante Soterē Presbyteri, qui Ecclesiæ (cui tu nunc præes) Sacerdotium tenuerunt, Anicetum dico & Pium, Hyginúmque & Telesphorum, & Xistum, neque ipsi ità tenuerunt, ne-

Victor Pōtifex Roman. Asiæ Ecclesias cōmunione Christianorum priuat.

Victorem Pontificē Roman. Ireneus arguit.

que hi qui cum ipſis erant: & tamen cùm ipſi ità nõ obſeruarent, pacem ſemper habuerunt cum illis Eccleſiis, quæ hunc obſeruantiæ morem tenebant; cũ vtique & ipſis contrarium videretur, quòd non etiã cæteri ſimiliter obſeruarent. Nunquam tamen ob hoc repulſi ſunt ab Eccleſiæ ſocietate, aut venientes ab illis partibus non ſunt ſuſcepti, imò potiùs & omnes Presbyteri qui fuerunt ante te, omnibus ſemper qui non ità obſeruabant Presbyteris Eccleſiarum, Euchariſtiam ſolemniter tranſmittebant.

## *DIVVS POLYCARPVS JOANnis Euangeliſtæ Diſcipulus fuit, & Epiſcopus Smyrnenſis, qui martyrio coronatur ſub Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, Jmperatoribus.*

BEatus autem Polycarpus cùm ad vrbem Romam veniſſet ſub Aniceto, cúmque de aliis nonnullis parũ quid habuiſſent inter ſe, ſtatim tamen coiiſſent in pace, de hac quęſtione ità egerunt, vt nõ vnuſquiſq; ſententiam ſuam obſtinata contentione defenderet: Neque enim aut Anicetus Polycarpo ſuadere poterat, vt non obſeruaret ea, quæ nouerat Ioannem Diſcipulum Domini noſtri, vel cæteros Apoſtolos cum quibus SEMPER fuerat obſeruâſſe; Neque rurſus Polycarpus Aniceto perſuaſit ea deſerere,

quæ ille dicebat à se maiori more seruari. Cúmque hæc inter se ità habuissent, communicârunt sibi inuicem, ità vt CONCEDERET Anicetus Polycarpo etiam Sacerdotali ministerio, honoris dumtaxat contemplatione perfungi, & ità ab inuicem plena fide, & pace firma & integra charitate discedunt, vt omnes Ecclesiæ, siue quæ ità de Pascha, siue quæ non ità obseruarent, inter se tamen concordiam custodirent. Hæc Irenęus agens nominis sui opus, pacem videlicet Dei Ecclesiis concilians scribit.

*EX HISTORIA ECCLESIAstica Eusebij Cæsariensis libro IV. Cap. 23 vbi loquitur de Dionysio Episcopo Corinthiorum qui fuit anno Christi circiter 170.*

DIonysij autem fertur & alia ad Romanos data ad Episcopum Soterem, in qua instituta antiquitus tradita, in Ecclesia Romana custodiri, libenter amplexum se his indicat verbis. A principio namque moris est, inquit, vobis fratres, omnes variis iuuare beneficiis, multísque Ecclesiis quæ sunt per diuersa terrarum loca, cuncta quibus indigent, destinare: singulorum quoque necessitates in omnibus consolari: sed & per metalla fratribus relegatis, quę vsus poscit præbere. Hæc ab initio Romanæ Ecclesiæ facere moris fuit, à Patribus sibi huiuscemodi institutione dimissa, & semper in-

Epistola Dionysij ad Romanos.

Antiquus mos Ecclesiæ Romanæ.

tegrè custodita. Beatus verò Episcopus vester Soter, non solùm seruauit quę Patres tradiderunt, sed & auxit in melius.

## *EX DIVO IRENÆO ADVERsùs hæreses libro III. Capite 3.*

SEd quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximè & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesię, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiã malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam præterquàm oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.

Romana Ecclesia.

Ad Romanam Ecclesiã omnes aliæ conuenire debent, propter eius principalitatem.

FVit autem IRENÆVS Episcopus Lugdunensis, auditor D. Polycarpi, Ioannis Euangelistæ Discipuli, & missus Romam vbi tunc præsidebat Eleutherius, ad componendum Ecclesiarum dissidia, circa Prophetiæ donum, vt videre est in lib. Ecclesiæ histor. Eusebij, & sub Victore conciliauit Romanæ Ecclesiæ Ecclesias Asiæ. Floruit autem Commodi temporibus. Demùm sæuiente persequutione sub Seuero, positus inter duos colles, cùm in vno crucem-

crucem, in alio Idolum esset, vt mortem per Crucem, vel vitam per Idolum eligeret illi dictum est, cum populo tamen ad Crucem veniens, omnes martyrio coronati sunt.

## *EX TERTVLLIANO LIB. III. de Praescriptionibus aduersùs haereticos, Cap. 23. qui floruit sub Seuero Principe, & Antonino Caracalla, anno Christi circiter* 220.

LAtuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum claues Regni coelorum consequutum, & soluendi, & alligandi in coelis, & in terris potestatem?

### *Ex eodem. Ibidem.*

DE hinc sicut ipse narrat ascendit Hierosolymā cognoscendi Petri caussa, ex officio & iure scilicet eiusdem fidei & prędicationis.

### *Ex eodem. Ibidem.*

SI autem Italiae adiiceris habes Romanam vnde nobis quoque autoritas praestò est statuta. Felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicae adaequatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur.

Doctrina Ecclesiae, sanguine Apostolorum fuit perfusa.

## *EX D. CYPRIANO EPISCOPO Carthaginensi & Martyre, lib. I. Epistolarum, Epistola 3.*

PEtrus tamen super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, ait: *Domine ad quem ibimus &c.*

FLoruit D. CYPRIANVS anno Christi circiter 240. Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogauit. Huius ingenij superfluum est indicem texere, cùm sole clariora sint eius opera. Passus est sub Valeriano & Gallieno Principibus, persecutione 8. eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno. Itá Pontius eius Diaconus.

### *Ex eodem, lib. IV. Epistolarum, Epistola 9.*

LOquitur illic Petrus, super quē ædificanda erat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens & ostendens.

### *Ex eodem, in Tractatu de habitu virginum.*

PEtrus etiam, cui oues suas Dominus pascendas tuendásque commendat, supèr quem posuit, & fundauit Ecclesiam.

### *Ex eodem, in sermone de bono Pœnitentiæ.*

ITem Petrus super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in Epistola sua ponit.

### *Ex eodem, ad Julianum.* Tom. 2.

NAm Petro primùm Dominus, super quem ędificauit Ecclesiam, & vnde humanitatis origi-

nem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in terris quod ille soluisset.

*Ex eodem ad eumdem Julianum.*

Ecclesia fons aquæ viuæ. Apud hæreticos nō est fons aquæ viuæ, sed mortis.

CLamat Dominus vt qui sitit veniat, & bibat de fluminibus aquæ viuæ quæ eius venis refluxerunt: quò venturus est qui sitit; vtrúmne ad hęreticos vbi fons, & fluuius aquæ vitalis omnino non est? an ad Ecclesiam quę vna est, & super vnum qui claues eius accepit voce Domini fundata est.

*Ex eodem, ad Quirinum.*

Petri humilitas demonstratur.

NAm nec Petrus quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm Paulus de Circūcisione postmodùm disceptaret, se vendicauit, seu aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nonnullis, & posteris sibi potiùs oportere.

*Ex eodem, I. libro Epistolarum.* To.I.

DEus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super petram Domini voce fundata.

*Ex eodem I. libro Epistolarum. Epistola* 12.

Ecclesia Catholica vna est.

SPiritus sanctus vnus, & vna Ecclesia à Christo Domino nostro super Petram origine vnitatis, & ratione fundata.

*Ex eodem, Epistolarum libro I. Epistola* 3.

POst ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri Cathedram atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.

*Ex eodem, Libro de exhortatione ad martyrium.*

CVm septem liberis planè copulatur, & mater origo, & radix, quæ Ecclesias septem postmodùm peperit ipsa prima, & vna super petram voce Domini fundata.

*Ex eodem, Epistolarum libro II. Epistola* 10.

SEd quoniam diuersæ partis obstinata, & inflexibilis pertinacia non tantùm radicis, & matris sinum atque complexum recusauit; sed etiam gliscente, & in peius recrudescente discordia Episcopum sibi constituit, & contra Sacramentum semel traditum diuinæ dispositionis, & Catholicæ vnitatis adulterium, & contrarium caput extra Ecclesiam fecit.

*Ex eodem, In Tractatu de simplicitate Prælatorum.*

LOquitur Dominus ad Petrum, *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo* Matth. 16. *Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis.* Et eidem post Resurrectionem suam

dicit: *Pasce oues meas.* Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam potestatem tribuat, & dicat: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos; Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittuntur illi, si cui tenueritis, tenebuntur:* tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quo fuit Petrus consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur.

Ioan. 21.

Ioan. 20.

Ecclesia vna, & ab vnitate proficiscitur.

## *Ex eodem Epistolarum libro I. Epistola III.*

NEque enim aliundè Hęreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, VICE Christi cogitatur, cui si secũdùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùs Sacerdotum collegium moueret quidquam; nemo post diuinum judicium, post populi suffragium, post Episcoporum consensus judicem se, nõ iam Episcopi, sed Dei faceret; nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris nouam hæresim conderet.

Sacerdoti summo obtemperare debemus.

## *Ex eodem, Epistolarum libro III. Epistola II.*

NOs, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ, electum à Deo omnipotente & Christo Domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi

ſumus, circumuenti ſumus perfidia, & loquacitate captioſa. Nam & ſi videbamur, quaſi quamdā communicationem cum ſchiſmatico & hæretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit: nec enim ignoramus vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum ſanctum, vnum Epiſcopum in Eccleſia Catholica eſſe debere, &c.

Vnus eſt in Eccleſia, Epiſcopus videlicet Summus PP.

*Ex eodem, Epiſtolarum libro III. Epiſtola II.*

GRauat enim me atque contriſtat & intolerabilis perculſi & penè proſtrati pectoris mœſtitia perſtringit, cùm vos illic comperiſſem contra Eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra Euangelicam legem, contra inſtitutionis Catholicæ vnitatē, alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe, id eſt, quod nec fas eſt, nec licet fieri. Eccleſiā alterā inſtitui, Chriſti membra diſcerpi, Dominici gregis animum & corpus vnum diſciſſa ęmulatione lacerari.

## *EX DIVO MAGNOQVE Baſilio Epiſcopo Cappadociæ, qui floruit anno Chriſti circiter 400. libro II. aduerſùs Eunomium.*

PEr hanc vocem Petrum intelligimus Ionam, qui fuit ex Bethſaida Andreæ fratrem; qui ex piſcatore in Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt, qui quoniam fide præſtabat Eccleſiæ in ſeipſo ędificationem ſuſcepit.

*EX DIVO CYRILLO EPISCOPO Alexandrino, qui floruit anno Christi circiter 440. qui & in Ephesina Synodo vice Romani Pontificis præsidebat.*

CVm Christus ab Apostolis quæreret: *vos autem quem me esse dicitis?* Petrus vt Princeps capútque cæterorum primus exclamauit, *Tu es Christus filius Dei viui, &c.* *Matth. 16.*

*Ex eodem D. Cyrillo super Joannem, libro II. Cap.* XII.

**Petrus petra, lapísq; firmissimus super quẽ fundauit Dominus Ecclesiam.**

TV vocaberis Cephas, ideſt Petrus, vocabulo ipſo ſignificat Dominus, quòd in eo tamquam in petra lapidéque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.

*Ex eodem, in libro II. Thesaurorum.*

E*T portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Secundùm hanc Domini promiſſionem Eccleſia Apoſtolica ab omni ſeductione, hęreticáque conuentione manet immaculata ſuper omnes prępoſitos, & Epiſcopos, ſuper omnes Primates Eccleſiarum, & Apoſtolorum in ſuis Pontificibus in fide pleniſſima, & autoritate Petri: & cùm aliæ Eccleſiæ quorumdam errore ſint verecundatę, ſtabilita inquaſſabiliter ipſa ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium

obturans ora hæreticorum, & nos necessario salutis non decepti superbia, neque vino superbię inebriati typum veritatis, & sanctæ Apostolicæ traditionis vnà cum ipsa confitemur, & prædicamus.

## *Ex eodem. Ibidem.*

ITaque, fratres, si Christũ imitamur, vt ipsius oues vocem eius audiamus, manentes in Ecclesia Petri, & non inflemur vento superbiæ, ne fortè tortuosus serpens, propter nostram contentionem nos eiiciat vt Euam olim de paradiso.

## *Ex eodem. Ibidem.*

VT membra, maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum; à quo nostrûm est quærere quid credere, & quid tenere debeamus: Ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus; quoniam ipsius solius est reprehendere, & corrigere, statuere, soluere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit. *Et infra.* Christus nulli alij quod suum est, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tamquam ipsi Domino Iesu obediunt.

## *Ex eodem. Ibidem.*

SIcut Christus accepit à Patre dux sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israël egrediens super omnẽ principatum & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur plenissimã potestatẽ; sic

sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit, & nulli alij quàm Petro Christus quod suum, & plenum, sed ipsi soli dedit.

### *Ex eodem. Ibidem.*

APostoli in Euangeliis & Epistolis affirmauerũt in omni doctrina Petrum esse loco Domini, in eius Ecclesia eidem dantes locum in omni capitulo, & synagoga, in omni electione, & affirmatione.

### *EX ORIGENE SVPER INITIVM Euangelij Ioannis.*

Petrus maior est Ioanne.

NEmo nos existimet Petro Ioannem præferre; quis hoc fecerit? quis enim esset altior Apostolorum illo, qui est, & dicitur vertex eorum?

### *Ex eodem, Homilia V. super Exodum.*

MAgno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino vide, *Modicæ fidei quare dubitâsti?* *Matth. 14.*

### *Ex Historia Eusebij, libro* II. *Cap.* XIIII.

Petrus Romá venit anno secundo Claudij.

COntinuò namque in ipsis Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentiæ probatissi-

mum omnium Apostolorum & maximum, fidei magnificentia & virtutis merito primorum principem Petrum ad vrbem Romam, velut aduersùm humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, ducem quemdam & magistrum militiæ suę, scientem diuina prælia gerere, & virtutum castra ductare.

## *EX HOMILIA LV. SVPER MATthæum, D. Joannis Chrysostomi, qui floruit anno Christi circiter 400 fuítque Episcopus Constantinopolitanus.*

QVid igitur Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortij totius, cùm omnes interrogati essent, ipse solus respondet? *Et paulò inferiùs.* Vt futura Ecclesia tot tantísque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius Pastor & caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamãtis naturam firmitate superet. Hæc omnia, inquam, quæ solius Dei sunt, se pollicetur Christus daturum Petro. Ita & Pater ad Hieremiam dicebat. *Sicut colũnam ferream, & sicut murum æneum posui te.* Sed ipsum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. *Et paulò inferiùs, ad Lectorem ait.* Tu verò mecum ex eis omnibus quanta sit potestas eius intellige. *Ego tibi dico,* inquit, *tu es Petrus,*

*Petrus Pastor & caput Ecclesiæ.*

*Hierem. 1.*

*Hieremias vnius gentis Pater, Petrus verò totius orbis.*

*Matth. 16.*

*& ego super te ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum, &c.* *Matth. 16.*

## *Ex eiusdem Homilia* LXXXVII. *super Joannem.*

QVid tandem alijs omissis, de his dumtaxat Petrus effatur? os erat Apostolorum, & princeps, & vertex ipsius cætus. Propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul vt ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam, tamquam enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantũ dicit, Si amas me, fratrum curam suscipias.

Petrus Princeps Apostolorum.

*D. Damascenus de dormitione B. Mariæ Virginis, loquens Orat. 2. quomodóque inter fuerint in ea omnes Apostoli, dum de B. Petro loquitur sic fatur. Aderat & Domini frater Iacobus, & Petrus, suprema & antiquissima Theologorũ summitas.*

## Ex *eadem Homilia eiusdem.*

QVòd si quis percontaretur, quomodò igitur Iacobus sedem Hierosolymis acceperit: respõderem hunc totius orbis magistrum præposuisse. *Et post pauca.* Nam cùm magna Christus Petro communicâsset, orbis terrarum curam demandâsset, martyrium prędixisset, & maiorem erga eum dilectionem testatus esset.

## *EX DIVO HILARIO SVPER Cap. XVI. Matthæi.*

BEatus hic est, qui vltra humanum oculos intendisse, & vidisse laudatus est: non in id quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei filium cælestis Patris relatione conspiciens:

*ligo te:* ait Dominus; *Pasce oues meas*, & hoc tertiò: quod quidem dictum ad compensationem prioris profecit erroris: qui enim Dominum tertiò negauerat, tertiò confitetur, & quoties culpam delinquẽdo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantùm fletus profuerit Petro, antequàm fleret, lapsus est; postquàm fleuit electus est; Et qui ante lacrymas prçuaricàtor extitit, post lacrymas Pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui primus seipsum non rexit.

Lachrymæ Petri multum illi profuerũt.

## *Ex eodem, vt videre est in Decreto 24. q. 1. can.* aduocauit.

ADuocauit ad se Cyprianus Episcopum Satyrum, nec vllam putauit veram nisi veræ fidei gratiam, percunctatúsque ex eodem est, vtrúmnam de Catholicis Episcopis esset, hoc est, si cum Ecclesia Romana conueniret.

## *Ex eodẽ & Decreto citato, Cap.* quç dignior. *q. 1.*

QVæ dignior domus Apostolico prædicationis ingressu, quàm sancta Romana Ecclesia?

## *EX D. HIERONYMO LIBRO I. contra Iouinianum, qui floruit anno Christi circiter 400.*

LIcèt alio in loco super omnes Apostolos dicatur Ecclesia fundata, tamen inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis quoque tollatur occasio.

## *Ex eodem, super verba D. Matthæi c. 16.*

EGo, inquit, *dico tibi*: quid est quod ait, *Et ego dico tibi?* Quia tu mihi dixisti; *Tu es Christus Filius Dei viui*; *Et ego dico tibi*, non sermone casso, & nullum habente opus; sed *dico tibi*, quia meum dixisse fecisse est, *Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt lumẽ mundi appellarentur, cæteráque ex Domino sortiti sunt vocabula; ità & Simoni, qui credebat in petrã Christum, Petri largitus est nomen, ac secundùm metaphoram petrę, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te. Petrus petra dicitur.

## *Ex eodem, Epistola LX. ad Terentiam, de vera Circumcisione.*

FEruet quidem vniformiter per omnium Apostolorum mentes, plenis musto pectoribus, & mensuram corpoream inũdatio spiritalis excedẽs ebrietatem non celat gloriosam; nobis tamen ab illo est incipiendum à quo hauriendi sitis est inchoata, vt ex desiderij magnitudine sacræ infusionis plenitudinem doceamus, ex vino sitim parilẽ sociorum nõ auarè diuinæ sobrietatis propinatione propinata, ecce inclinatam sodalitatem augustum caput Petrus extulit noui signifer testamenti, & in creatione primitiuus: alius, quod sinè dubitatione loquor Abraham, nescio an maior, certè, quod sentio, secundus: illi generatio larga promittitur, huic generatio

pascenda datur. Ab illo iustificanda procedunt, in hoc iustificata fundantur. Itaque ille sperat, hic accipit, illi dicitur, *Faciam te in gentem magnam*; huic dicitur, *Faciam te piscatorem hominum*: Illi dicitur, *In semine tuo benedicentur patriæ gentium*, huic dicitur, *Iudicabis duodecim tribus Israël*. Illi dicitur, *In stellis erit nomen tuum*; huic dicitur, *Tibi dabo claues regni cælorum*. Ac per hoc ille fecunditate seminis benedicti impletur; hic ante semen ipsum euangelizaturus assistitur; Abrahę pro filiis claritas monstratur astrorum, sed Petro traduntur regna cœlorum, videlicet, vt in eos, sine Petro nec filij Abrahæ non possunt intrare. *Genes. 17.* *Math. 4.* *Genes. 23.* *Matt. 19.* *Genes. 26.*

## *Ex eodem, Epistola VII. ad Damasum Papam.*

ITa me incessabilis inimicus post tergum persecutus est, vt maiora solitudine bella nũc patiar. Hinc enim præsidijs fulta mundi Arriana rabies fremit; hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere festinat, monachorum circa commanentium antiqua surgit in me autoritas. Ego interim clamito; Si quis Cathedræ Petri iungitur meus est: Miletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt: possem credere si hoc vnus assereret, nunc autem duo mentiuntur aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini, per necessitatem decoris fidei nostræ & passionem, vt qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito: Ità in solio cum duodecim iudicaturus sedeas, ità te alius senẽ cum Petro cingat, ità municipatũ cælicũ cũ Paulo consequaris, vt

## *Ex eodem, paulò inferiùs.*

Petrus Episcoporũ Episcopus. Petrus solus, nomen pastoris accepit inter alios.

ECce Apostolo pœnitẽti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti, quod doceam illud ostendo, quòd nullus Apostolorum nomen Pastoris accepit, soli enim huius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti Dominus concessit, & ter negatus, quam solus habuit Petro tribuit potestatem, vt non solùm recuperâsse, quòd amiserat; probaretur: verùm & multò ampliùs pœnitendo quàm negando perdiderat, acquisisse. Hoc magister bonus in electo Discipulo formauit exemplum, vt omnis Discipulus Christi sit integro animo, & pœniteat si ità euenerit vt delinquat, nec rem noxiam sibi promittere debet vt decrescat.

Petrus, plus pœnitendo acquisiuit, quàm negãdo perdidit.

## *Ex eodem, in Tractatu de Virginibus Deo dicatis. cap. IV. de communitate & humanitate seruanda.*

NOn quęrat obsecro filia Regis filiæ militis pręeminere pompis terrenis in Christi & Apostolorum cõsortio. Non enim Petro vili piscatori Bartholomæus nobilis anteponitur; imò piscatori totius mundi monarchię traditur principatus.

## *Ex eadem, vt videre est in Decreto 24. q. 1. cap.* Quoniam.

CVm successore piscatoris, & Discipulo Christi loquor, ego nullum præmium nisi Christum sequens, Beatitudinis tuæ id est Cathedræ sancti Petri communioni consocior; super illam petram fundatam Ecclesiam, scio quicũque extra hanc domum agnũ comederit prophanus est, si quis in Arca Noë non fuerit, peribi tregnante diluuio, *Et paulò post*, quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Noë Arca, Ecclesiæ Catholicæ Symbolũ.

Lucæ 11.

## *EX D. AVGVSTINO HIPPOnensi Episcopo, sermone CXXIV. de Tempore, qui floruit anno Christi circiter* 400.

CRedendæ erant Petro Apostolo claues Ecclesiæ; imò creditę sunt ei claues regni cœlorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo quæ esset pro sua natura vitiis, passionibus, culpis inuoluta atque peccatis. Denique sic ad eum Saluator dicit; *Tibi dedi claues regni cælorum.* Deinde sequitur dicens; *Quæcumque solueris super terram erunt soluta & in cælis.* Videlicet vt in clauibus fidelis ianitor, in sententiis esset clementissimus dispensator. Erat enim reuera hic Petrus paulò durior & seuerus.

Matth. 16.

Petrus paulò durior fuit.

ſicut eius auſteritatem truncata ob Chriſti iniuriam ſerui principis Sacerdotũ declarat auricula. Hic igitur tam durus, támque ſeuerus ſi donum non peccã di à Domino fuiſſet indeptus, quæ venia commiſſis populis donaretur? Sed idcirco diuinæ prouidentiæ ſecretum ità temperauit atque permiſit, vt primus ipſe laberetur ac rueret in peccatum, quo erga peccantes duriorem ſententiam proprij caſus intuitu temperaret. Quantùm igitur diuini muneris erga ſalutem hominum, quantùm curæ quantúmque ſolicitudinis impendatur aduerte. Totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ, & in ipſo vertice componit membrorum omnium ſanitatem, in ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento, in Petro ſcilicet illo qui dixerat, *Etiam ſi me oporteat mori tecum, non te negabo.*

Matth. 26. Marc. 14. Luca 22.

## *Ex eodem, Serm. XXVI. de Sanctis.*

PRimum ſignum mirabile quod Beatus Petrus Apoſtolus fecit, claudo pedum reſtituendo, vt diximus, veſtigia, audiſtis frequenter ipſum Petrũ à Domino petrã nuncupatum cum ſic ait. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, rectè prius pedes ſanat, vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ità & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè inquam pedes Chriſtianorũ curat, vt iã non trepidus quis, nec imbecillis poſſit ſupra petram Eccleſię ſtare, ſed robuſtus & fortis incedere.

Actor. 3. Mat. 16.

## *Ex eodem, in libro sermonum, Homilia XLV.* Tom. 10.

Actor. 10. QVid ergo sibi vult ista significatio? vas illud Ecclesiam significat; quatuor lineæ quibus dependebat, quatuor partes orbis terrarum per quas extenditur Ecclesia Catholica, quæ vbique diffusa est. Quicumque ergo voluerit in partem ire, & per aliquam hæresim ab vniuerso conscindi, non pertinet ad quatuor linearum sacramentum. Si autem ad visionem Petri non pertinet, nec ad claues quæ sibi datæ sunt pertinebit. Vas lienteum Symbolum est Ecclesiæ.

## *Ex eodem, libro XXII. contra Faustum Manichæum, Cap. 70.*

QVid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum, factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est rector illius Synagogæ.

## *Ex eodem, in libro Quæstionum noui & veteris Testamenti, Quæstione 75.*

Matt. 17. DIdrachma captum solutio intelligitur. *Et paulò inferiùs.* Saluator cùm pro se, & Petro, dari iubet, pro omnibus exsoluisse videtur; quia sicut in Saluatore erant omnes caussa magisterij: ità & post saluatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum.

## *Ex eodem, super verba Lucæ Cap. XXII.*

NOn orauit Christus pro Iacobo, & Ioanne, atque pro cæteris, sed pro Petro, in quo continebantur cæteri.

## *Ex eodem, in libro Retractationum I. Cap. 21.*

IN hoc libro dixi, idest in libro contra epistolam Donati, in quodã loco de Apostolo Petro, quòd in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia; qui sensus etiam cãtatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinacco ait:

*Hoc ipsa petra Ecclesiæ*
*Canente culpam diluit* D. Ambr.

Sed scio me posteà sępissime sic exposuisse, quod à Domino dictum est. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vt super hunc intelligeretur quẽ confessus est Petrus dicens. *Tu es Christus Filius Dei viui*: ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum; Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed, Tu es Petrus, Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector.

# EX D. GREGORIO MAGNO Pontifici I. in Registro, Epistola XXXII. qui sedit anno Christi circiter 594.

CVnctis Euangeliũ scientibus liquet, quòd voce Dominica, sancto & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur, *Petre amas me? Pasce oues meas.* Ipsi dicitur, *Ecce Satanas expetiuit cribare vos sicut triticum. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ipsi dicitur, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris,* &c. *Vsque solutum in cælis,* &c.

HAnc potestatis amplitudinem, dignitatémque supremam, quam Christus Petro pollicitus est post magnificam illam atque diuinam vocem, Tu es Christus Filius Dei viui, quam emiserat rogatus cum cæteris: Vos autẽ quẽ me esse dicitis? Postquàm se à mortuis excitauit, Petro in manus dedit; ne quisquam existimare posset vllo pacto ab eadem excidisse, quòd qua nocte ad mortem vitæ magister ductus est, eumdem abnegasset, atque id sanè, verbis tam parum obscuris, vt nisi qui pertinaci animo contendat, omnes procul-dubio dicturi sunt, summam à Christo in Ecclesiam suam Petro potestatem, & agendi vim esse concessam, cùm inquit; Pasce oues meas, pasce agnos meos; Nam quia Petro, atque in eo cæteris omnibus Summis Pontificibus simpliciter, Pasce, ait, haud dubiè significat, tunc à se omne genus pastus exhibendi vni, cui loquitur his verbis, Petro committi, atque in posterum debere penès Pontificem maximum residere: & cùm oues nominet, vniuersos procul dubio Christianos intelligit; Ecclesias etiam omnes, atque hominum Christianorum cœtus, eximit nullum, iuxta tropum sanctarum Scripturarum. Pascere enim quo verbo in præsentia Ioannes Euangelista vsus est, regere & gubernare est, ex natura verbi ipsius: vnde fit vt ad Reges quoque, & principes gentium pertineat hæc vox, quos Ethnici scriptores, sed imprimis Homerus, Pastores populorum appellauerunt. Nam quemadmodum Pastores, ouium commodis diligenter inuigilant, ità quoque principes atque Reges, non tam suæ vtilitatis studiosi esse debent, quàm gentium & populorum sibi subditorum. Huius sanctissimi regni habenas Petrus accepit, perámque & baculum pastoralis indicia dignitatis, tenuit.

## Ex eodem, Homilia XXI.

QVa in re considerandum nobis est, cur omnipotens Deus, eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit: quòd nimirum magnæ dictum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset.

## Ex eodem, libro ad Eulogium VI. Epistola 36.

QVis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorũ Principis soliditate firmatam, qui firmitatem traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur. *Tibi dabo claues Regni cælorum*, cui rursum dicitur, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Iterum. *Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas.* Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tantùm Principatu, sola Apostolorum Principis sedes in autoritate conualuit.

## EX D. DAMASCENO, HISTORIA duorum Christi militum: qui floruit temporibus Leonis Imperatoris III. circa Christi annum 714.

SIc, inquit Saluator, *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pænitentiam agente, quàm super nonaginta nouẽ* Luc. 15.

*iustis, qui non indigent pœnitentia.* Princeps etiam Apostolorum Petrus, fidei petra circa ipsum tempus passionis Christi ad modicum derelictus dispensatiua quadam desertione, vt agnosceret humanæ infirmitatis imbecillitatem, pusillanimitatem, & miseriã, negationis crimen incurrit. *Et post pauca.* Princeps autem Apostolorum Petrus antè fuit, & posteà Magister orbis ordinatus, sic iam & pœnitentiæ forma effectus est.

APPENDIX AD LIBRVM III.

# SELECTORVM LOCORVM EX FIDEI Orthodoxæ ſanctis Doctoribus D. Petri Apoſtolorum Principis, ac Pontificum Romanorum eius ſucceſſorum, indicantium Primatum.

## *EX D. CHRYSOSTOMO, Homilia XVIII. Super Joannem.* Tu es Simon Iona, tu vocaberis Cephas, *quod ſonat ſi interpreteris, lapis.*

ANimaduertendum autē, quòd non omnia quæ euentura erant ei, hoc primo congreſſu prædixit; non enim appellauit eum Petrum; non dixit ſuper eàm petram ædificaturū Eccleſiam, ſed dixit. *Tu vocaberis Cephas.* Illud enim maioris erat & poteſtatis, nec non & autoritatis: ea enim nunc Chriſtus continuit: humiliùs à principio loquitur; cùm verò diuinitatem ſuam demonſtrauit, maiora narrauit, inquiens; *Et ego dico tibi tu es Simon, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Aa

*Ex D. Cyrillo Patriarcha Alexandrino, super Joannem.*

TV *vocaberis Cephas*, ideſt Petrus. Vocabulo ipſo ſignificauit Dominus quòd in eo tamquàm in petra, lapidéque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.

*Ex D. Hieronymo, libro de obitu Sanctorum.*

PEtrus in Chriſto Eccleſiæ firmamẽtum, Cephas corporis Chriſti Princeps & caput eſt.

*Ex Origene ſuper Matthæum.*

VIde etiam quantam poteſtatem habeat petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia, vt etiã iudicia eius maneant firma, quaſi Deo iudicante per eam.

*Ex D. Hieronymo in Tractatu de Regula Monachalium.*

Galat. 5. VOlo autem vos mortuas ſeculo, vitiis, & cõcupiſcentiis carnem crucifigere cum Chriſto: & quæ iam cæperunt proprio ſeſe voto caſtrare ſub perpetuæ virginitatis & caſtitatis propoſito in monaſteriis, velut in duritia lapidis, fore cũ Chriſto ſepultas; atque iuxta decretum ſummi poſt Chriſtum Pontificis Petri, qui ligandi, ſoluendíque tenet principatum à Domino, reſuſcitandarum in gloria

cum Christo sic deuotione firmetur nostrum propositum vt fides & spes sit tota in Deo.

## *Ex D. Cyrillo.*

VT ostendat quòd homines existentes quantùm pertinet ad humanum, nam & lubricum mentis nostræ non decet vt præesse cæteris velint: & ideò omissis cęteris venit ad Petrum cęteris prȩlatū.

## *Ex Rabano Archiepiscopo Moguntino, super Matthæum.*

HÆc autem ligãdi soluendíque potestas quamuis soli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apostolis datur; necnon etiam nunc in Episcopis & Presbyteris omni Ecclesię; sed, ideò Petrus specialiter claues regni cœlorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit; vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi.

Qui ab vnitate fidei segregant, non habebunt partem in regno cœlorum.

## *Ex D. Augustino, Tractatu de Pastoribus.*

PAscit Christus cum iudicio, discernit oues suas ab ouibus non suis. *Quæ sunt oues meæ* (inquit) *audiunt vocem meam & sequuntur me.* Hîc inuenio omnes Ioan. 10.
Pastores bonos in vno pastore: non enim verè pastores boni desunt, sed in vno sunt: multi sunt, qui diuisi sunt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas com-

mendatur,neque enim verè modò ideò tacentur .pastores, & dicitur Pastor, quia non inuenit Dominus cui commendet oues suas: tunc autem ideò commendauit,quia Petrum inuenit.Immò verò & in ipso Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apostoli, & vni dicitur, *Pasce oues meas*.Absit vt desint modò boni pastores; Absit à nobis vt desint. Absit à misericordia ipsius vt non eos gignat,atq; cõstituat. Vtiq; nã de bonis ouibus fiũt boni pastores.Sed omnes boni pastores in vno sunt: vnũ sunt. Illi pascunt: Christus pascit. Non enim vocem suam dicunt amici sponsi: sed gaudio gaudent propter vocem sponsi. Ideò ergo ipse pascit, cùm ipsi pascent, & dicit,Ego pasco quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius: Nam & ipsum Petrum,cui commendauit oues suas, quasi alter alteri vnum secum facere volebat, & sic ei oues commendaret;vt esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est, Ecclesiæ, & tamquam sponsus & sponsa essent duo in carne vna.

## *Ex eodem, in Libro Quæstionum veteris & noui Testamenti. Quæstione. CXXVIII.*

CErtè sanctus Ioannes castimoniæ fuit custos: cõdiscipulus autem eius sanctus Petrus vxorẽ habuisse cognoscitur, & Primatum vt acciperet inter tot Apostolos,non obstitit ei filiorum generatio.

*Ex eodem, super Ioannem.*

ISta (scilicet fides) significata est per Apostolum Petrum propter Apostolatus sui primatū: illa (scilicet spes) per Ioannē, ideò huic dicitur, *sequere me.*

## EX D. CYPRIANO EPISTOLA II. ad Antonianum, libro 4.

VEnio iam nunc, Frater charissime, ad personam Cornelij collegæ nostri, & Cornelium nobiscum veriùs noueris, non de malignorum & detrahentium mendacio, sed de Domini Dei iudicio, qui Episcopum fecit eum, & Coëpiscoporum testimonio, quorum numerus vniuersus per totum mundum, concordi vnanimitate consensit. Nam, quod Corneliū charissimum nostrum Deo, & Christo & Ecclesiæ eius, item Consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione cōmendat, non iste ad Episcopatum subitò peruenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad Sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec, vt cæteri quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ

ſibi & cuſtoditæ verecundiæ,non vt quidam,vim fecit, vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt,vt Epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt Epiſcopus à plurimis collegis noſtris,qui tunc in vrbe Roma aderant, qui ad nos litteras honorificas, & laudabiles, & teſtimonio ſuę prædicationis illuſtres de eius ordinatione miſerunt. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti eius iudicio, de clericorum penè omniũ teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorũ & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante ſe factus eſſet,cùm Fabiani locus, ideſt,cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrũ confeſſione firmato, quiſquis iam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationẽ,qui Eccleſiæ non tenet vnitatẽ.

Dignitates quali vi accipiẽdæ ſint.

*Ex eodem, ad D. Lucium PP. Epiſtola I. libro 3.*

ET nuper quidem tibi, Frater chariſſime, gratulati ſumus, cùm te honore geminato in Eccleſię ſuæ adminiſtratione Confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit diuina dignatio: ſed & nunc non minùs tibi & comitibus tuis atque vniuerſæ fraternitati gratulamur, quòd cum eadem gloria & laudibus veſtris reduces vos denuò ad ſuos fecerit benigna Domini & larga protectio; vt paſcendo gregi paſtor, & gubernandę naui gubernator, & plebi regendæ rector, redderetur; & appareret relegatio-

nem vestram sic diuinitus esse dispositam, non vt Episcopus relegatus & pulsus Ecclesiæ deesset, sed vt ad Ecclesiam maior rediret.

*Ex eodem, Epistola IV. libri I. ad Felicem presbyterum & Paulum Diaconum.*

NEc rescindere ordinationem iure perfectam potest, quòd Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum lõgè positum, & gestæ rei ac veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi se iniustè in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus.

*Idem, Epistola* XIII. *libri 3. ad Stephanum.*

FAustinus collega noster Lugduni consistens, frater charissime, semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio vtique nuntiata tam ab eo, quàm à cęteris Coëpiscopis nostris in eadem prouincia constitutis, quòd Marcianus Arelate consistens Nouatiano se coniunxerit, & à Catholicæ Ecclesiæ vnitate atque à corporis nostri & Sacerdotis consensione discesserit, tenens hæreticæ pręsumptionis durissimam prauitatem, vt seruis Dei pro eo dolentibus & pœnitentibus, & ad Ecclesiam lacrymis & gemitu, & dolore pulsantibus, diuinæ lenitatis paternæ solatia & subsidia claudantur. *Et post pauca.* Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitu-

tos, ne vltra Marcianum peruicacem & superbum, & diuinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur, quòd necdum videatur à nobis abstentus, qui iam pridem iactat & prædicat quòd Nouatiano studens, & eius peruicaciam sequens à communicatione se nostra segregauerit, *Item inferiùs.* Qui, Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia Dei iudicio & cleri ac plebis suffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulterã Cathedram collocare, & sacrilega contra verum Sacerdotem sacrificia offerre tentauerit. *Item paulò post.* Dirigantur in Prouinciam & ad plebem Arelate consistentem à te litteræ: quibus abstento Marciano, alius in locum eius substituatur; & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. *Item in calce Epistolæ.* Seruandus est enim Antecessorum nostrorum beatorum Martyrum Cornelij & Lucij honor gloriosus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis tu, frater charissime, honorificare & seruare grauitate & autoritate tua debes, qui Vicarius & successor eorũ factus es. Illi enim pleni spiritu Dei, & in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt, &, pœnitentia acta, fructum communicationis & pacis negandum non esse litteris suis signauerunt, quam rem omnes omnino vbique censuimus. Neque enim poterat esse apud nos sensus diuersus, in quibus vnus esset spiritus, & ideò manifestum est eum Spiritus sancti veritatem cũ cæteris non tenere, quem videmus diuersa sentire.

EX

## EX HISTORIA TRIPARTITA
### *Socratis. lib. IV. capite 9.*

EVsebius itaque nullo modo Cæsareæ patiebatur, ſed omnia commouebat, donec ſuum propoſitum perduceret ad effectum. Egit ergo vt in Antiochia Syrię Synodus fieret, ſub occaſione quidem dedicationis Eccleſiæ, quam pater Auguſtorum fabricare cæperat, & poſt eius obitum Conſtantius decimo anno eam à tempore fundationis expleuerat; in veritate autẽ ad ſubuerſionem atque deſtructionem Nicęni Concilij. Ad quam Synodum conuenerunt ex ciuitatibus diuerſis Epiſcopi nonaginta. Maximus tamen Hieroſolymitanus Macarij ſucceſſor non affuit, cogitans quòd ipſi poſſet ſubripi, vt in damnationem ſubſcriberet Athanaſij, ſed neque Iulius interfuit maximæ Romæ Præſul, neque in locum ſuum aliquem deſtinauit, cùm vtique regula Eccleſiaſtica iubeat, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.

Anno Domini 346. Concil. Antiochiæ 90. Epiſcoporum.

Autoritas Romani Pontificis.

### *Ex eadem Hiſtoria, libro IV. Capite 15.*

Sozomenus.

IGitur Athanaſius relinquens Alexandriam, Romam profectus eſt. Cõtigit autem eodem tempore etiam Paulum Conſtantinopolitanum Pontificẽ illuc vnà concurrere, & Marcellum Ancyræ, Aſ-

clepámque Gazæ. Qui dum Arrianis eſſet aduerſus, calumniam paſſus ab his, quaſi ſubuertiſſet altare, damnatus eſt. Pro quo Gazæorum Eccleſia Quintiano committitur. Lucianus autem Hadrianopolites Epiſcopus, ob aliam accuſationem Eccleſia ſua priuatus, degebat in vrbe Roma. Cognoſcens ergo Romanus Epiſcopus crimina ſingulorum, & omnes Nicæno Concilio concordare comperiens eos in communionem ſuſcepit, tanquam omnium curam gerens, propter Sedis propriæ dignitatem, ſingulíſque reddidit ſuas Eccleſias, & Orientalibus ſcripſit Epiſcopis, culpans quòd non rectè tractâſſent viros inculpabiles de ſuis Eccleſiis eos expellentes, & quòd Conſtitutiones Nicæni Concilij minimè obſeruarent. Quorum paucos ad certam diem ſibimet adeſſe præcepit, vt coram eis oſtenderet iuſtum ſe ſuper illis protuliſſe Decretum. Et deinceps non ſe paſſurum interminatus eſt, niſi ab huiuſmodi turbis & nouitate ceſſarent. Et ille quidem hæc ſcripſit. Athanaſius autem & Paulus Epiſtolas Iulij Orientalibus Epiſcopis miſerunt, & ſinguli eorum ſuas ſedes adepti ſunt.

Romanæ Sedis dignitas.

## *Ex eadem Hiſtoria, lib.* IV. *capite 16.*

VErùm Pontifices Orientis grauiter hoc ferentes, & in Antiochia congregati Iulio reſcripſerunt Epiſtolam, ornato quidem ſtylo compoſitam, ironia verò maximè plenam, & non ſinè interminationis qualitate confectam: fatebantur enim circa omnes Romanorum Eccleſiam eſſe munificam, ve-

Romana Eccleſia.

luti quę Apostolicam haberet curam, & antiquitus mater pietatis existeret, licèt ab Oriente ad eā prædicatores dogmatis aduenissent. Se verò nō propterea secundo loco habendos existimabant, eò quòd non magnitudine aut multitudine abundarent Ecclesiarum, cùm vitæ qualitate non cederent; crimēque Iulio imponebant, eò quòd Athanasij sectatoribus communicâsse videretur: & tanquam ipsorum Concilio contumelias irrogâsset, eorúmque sententiam destruxisset, & veluti iniustum eius factum, Ecclesiasticísque sanctionibus dissonum arguebant.

## *EX EPISTOLA ORIENTAlium ad Julium PP. caussantium quòd in communionem receperit Athanasium, & cæteros quos ipsi damnauerant.* Ibidem.

DOmino Beatissimo & Honorabili patri Iulio Apostolicæ Sedis venerabili Episcopo Eusebius, Theogonius, Theodorus, & Berinthus, vnà cum reliquis Fratribus & Coëpiscopis nostris, in Antiochia cōgregatis. *Licèt* circa omnes Romanam Ecclesiā sciamus esse munificam, & Apostolicam habere curam, & semper matrem existere pietatis, quanquam ab Oriente ad eam prædicatores pietatis aduenissent, tamen optaremus vos nobiscum cōcordare, & quos à communione suspendimus, à vobis esse suspen-

Ita habetur Tom. I. Cōciliorū inter Decreta Iulij Papæ I.

ſos, & quos in ordine confirmamus Epiſcoporum à vobis eſſe confirmandos, nec nos ſecũdo loco habendos, cùm ex his partibus ad vos vſque, dogmatizantes Apoſtoli peruenerint, &c. *Item in calce Epiſtolæ.* Præfato itaque debitæ ſalutationis officio, Pater beatiſſime, propter beati Petri honorem impenſo, poſtulamus, &c. *Et ſubſcriptio.* Orate pro nobis. Apoſtolatum veſtrum Dominus æuo cuſtodiat longiore, Beatiſſime Pater.

## *Ex ſupradicta Hiſtoria Tripartita libro IV. Cap. 19.*

IGitur Iulius Romanæ vrbis Epiſcopus, cognoſcens Arrianorum inſidias aduersùs Athanaſium machinatas; poſtquàm Euſebij ſuſceperat litteras, euocauit Athanaſium, cùm audiſſet locum vbi erat abſconſus. Inter hæc ſuſcepit litteras Ægyptiorum Epiſcoporum, aſſerentium falſa eſſe quæ contra Athanaſium dicebãtur. Quo facto Iulius reſcripſit eis qui fuerant in Antiochia congregati, culpans eos primùm de iniuriis litterarũ: deinde cur ſe ad Synodum ſuam non vocâſſent, canonibus nimirum iubẽtibus præter Romanum nihil decerni Pontificem, inſuper quòd latenter corrumperent fidem.

Iulius Athanaſiũm ad ſe vocat.

# RESCRIPTVM IVLII PP. *contra Orientales Arrianos pro Athanasio & cæteris.*

IVlius sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, Eusebio, Theogonio, Theodoro, Berintho & cæteris Orientalibus Episcopis. Decuerat vos, aduersùs sanctam Romanam Ecclesiam & Apostolicam, limatè, & non ironicè loqui, quoniam & ipse Dominus noster Iesus Christus, eā decenter alloquutus, ait; *Tu es*, (inquit) *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cælorum.* Habet enim potestatem, singulari priuilegio sibi concessam, aperire & claudere ianuas regni cœlorum quibus voluerit. Nam si ei detrahere (quæ Domini ore cōsecrata, atque desuper exaltata est) non timuistis. *Et paulò post.* Quibus ità gestis, scripsi vobis, & omnibus qui in Antiochia cōtra Apostolicam, canonicámque regulam, nobis inconsultis, fueratis congregati, arguens vos primùm de iniuriis litterarum, deinde cur Athanasiū, suósque consectatores, ad vestrum Concilium conuocâssetis, canonibus scilicet præcipientibus, nihil extra Romanum decerni Pontificem, cui hæc, & maiora Ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quā ab omnibus vniuersorum Conciliorum Fratribus

Citatur in supradicta historia li. 4. cap. 19. Et inuenitur in To. 1. Conciliorum, p. 309.

*Matth. 16.*

In Decret. Iuonis l. 4.

Loquitur hîc de Cōcilio tunc Romæ habito.

ſpeciali (vt iam dictum eſt) priuilegio contradita ſunt. *Et paulò poſt*. Viſum eſt nobis, ac vniuerſo Cõcilio, vt nos diuinis præceptis & Apoſtolicis monitis informati, qui pro omnium Eccleſiarum ſtatu; impigro vigilare debemus affectu, ſi quidquam reprehenſioni vſquam inuenitur obnoxium, celeri ſolicitudine ab ignorantiæ imperitia, aut à præſumptionis vſurpatione reuocemus. His taliter conſideratis atq; diſcretis, tãquã omniũ curã gerẽtes, propter propriæ Sedis dignitatem, ſuſcepimus eos in communionem; ſingulíſque cum ſuis, autoritate huius ſanctæ Sedis, rebus, proprias reddidimus Eccleſias: quoniam huic ſanctæ Sedi, propter prauorum hominum inſidias, ipſo Domino inſtituente, & ſanctis Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, per ſingula Concilia roborantibus, hoc ſemper licuit, licebítque Domino auxiliante, in perpetuum. Vnde, qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat, &c. *Et poſt pauca*. Quare miror vos tam audaces eſſe, & tam imprudenter egiſſe, & terminos ac iura Beati Petri Apoſtolorum principis inuaſiſſe: ſui enim (vt paulò ſuperius comprobatũ eſt) iuris erat, vt abſque eius ſanctæ Sedis autoritate, nullus deberet aut Concilia celebrare, aut Epiſcopos ad Synodum conuocare: vel damnare eos, aut propriis pellere ſedibus, aut alios in eorum loco ordinare, quæ omnia vos non timuiſtis tentare. *Et infra inſerit Canones Nicæni Concilij, quorum hæc ſubſcribam*. Sequuntur enim ex prædicto Concilio Niceno Capitula, id eſt, 18. 19. 21. 23. 26. 27. 28. 33. 41. & 5. ſeptimũque & 8.

Loquitur hic de Cõcilio tunc Romæ habito.

Idem habetur in Epiſt. increpat. ad Orienta. huius PP. Iulij I.

ac 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 61. 63. 67. Et omnes Episcopi qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur caussis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem, confugiant; vt ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur, & liberentur, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas caussas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum eorúmque successorum atque canonũ autoritas reseruauit. Quoniam culpantur Episcopi qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ iussu fieri placuerit.

2. q. 6. Accusatus. Placuit vt accusatus vel iudicatus à Comprouincialibus in aliqua caussa Episcopus, licenter appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos, eius retractari negotiũ procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex caussam suam audit, nullús alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus: quoniam quamquam à Comprouincialibus Episcopis accusati caussam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri, inconsulto Romano Pontifice, permissum est; cùm beato Petro Apostolo, & non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* *Matth. 16.*

2. q. 6. si quis. pu. Si quis putauerit, se à proprio Metropolitano grauari, apud Primatem diœceseos, aut penès vniuersalis Ecclesiæ Papam iudicetur.

3. q. 5. Accusatores. Accusatores & accusationes, quas leges seculi

non adſciſcunt, & nos vnanimiter ſubmouemus; nec fiat in diſtricta probatione impietas, cùm recta ſit iudicij in electione ſententia.

*Nullus* Epiſcopus alterius Parochianum prçſumat retinere, aut ordinare abſque eius Epiſcopi voluntate, vel iudicare; ſalua tamen in omnibus Apoſtolica autoritate: quia ſicut irrita erit eius ordinatio, ità & iudicatio: quoniam cenſemus nullum alterius iudicis, niſi ſui, ſententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.

*Si quis* erga Epiſcopum, vel actores Eccleſiæ, ſe proprium habere crediderit negotium, non priùs adeat iudices, quàm ad eos recurrat charitatis ſtudio, vt familiari colloquio commoniti, ea ſanare debeant, quæ in querimoniam deducuntur. Quòd ſi aliter egerit, communione priuetur. 2.qu. 7.ſi quis Et in Decret. Ep. Alex. Papæ.

*Nemo* Pontificum deinceps, aliquem Epiſcopum ſuis exſpoliatum rebus, aut à ſe depulſum, excommunicare aut iudicare prçſumat; quia non eſt priuilegium, quo poſſit ſpoliari iam nudatus. 2.q.2. nullus poſt côuocari.

*Pari* tenore decernimus, non credi accuſatori, qui, abſente aduerſario, cauſſam ſuggerit ante vtriuſque partis diſcuſſionem. Nec accuſatores vel teſtes ſuſcipi, qui non ſunt idonei.

*Placuit*, ſi accuſatus vel damnatus Epiſcopus, appellauerit Romanum Pontificem, id ſtatuendum, quod ipſe iuſtè cenſuerit, & omnes, qui aduerſus Patres armantur, infames eſſe cenſemus: neque eos, qui cum inimicis morantur, ad accuſationem vel ad teſtimo-

testimonium recipiendos.

*Placuit*, vt semper in accusatione clericorum, primò persona, fides, vita, & conuersatio blasphemãtium perscrutetur: nam fides omnes actus hominis præcedere debet: quia dubius in fide, infidelis est. Nec eis omnino credendum est, qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conuersationis vitam ducunt: quoniam tales, & facilè & indifferenter lacerant & criminantur rectè & piè viuentes. Ideò suspicio eorum discutienda est primò & corrigenda, neque accusatoribus suspectis, vel de inimicorũ domo prodeuntibus est credendum.

*Quòd* non aliæ Metropolitanæ Ecclesię, vel Primates sint, nisi illæ, quæ priùs Primates erant, & post Christi aduentum, autoritate Apostolica & Synodali primatum habere meruerunt. Reliquæ verò non Primates, sed Metropoles vocentur: eorúmque Episcopi, non Primatum, sed aut Metropolitanorum aut Archiepiscoporum nomine fruantur.

*Infames* esse censemus omnes, qui suam aut Christianam præuaricantur legem, aut Canonicam postponunt autoritatem.

*Saluo* in omnibus Romanæ Ecclesiæ priuilegio, nullus Metropolitanus, absque cæterorum omnium Comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat caussas Episcoporum, quia irritæ erunt, & caussam in Synodo pro facto dabit.

*Alienis* erroribus sociatum, vel à sui propositi tramite recedentem, suscipere non possumus; nec impetere rectè credentes vel sanctorum Patrum san-

ctionibus obtemperantes, permittimus.

*Peregrina* iudicia generali sanctione prohibemus: indignũ est enim, vt ab exteris iudicētur, qui Cõprouinciales, & à se electos debent habere iudices.

*Salua* Apostolicę Ecclesiæ autoritate nullus Episcopus extra suam prouinciam ad iudicium deuocetur, sed vocato eo canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali, ab omnibus Comprouincialibus Episcopis audiatur, qui concordem super eum, canonicámque proferre debent sententiam; quoniam si hoc minoribus, tam clericis quàm laicis concessum est, quantò magis de Episcopis seruari conuenit? Nam si ipse Metropolitanum aut iudices, suspectos habuerit, aut infensos senserit, apud Primates dioecefeos, aut apud Romanæ Sedis Pontifices iudicetur.

*Nemini* de se confesso credi potest super crimen alienum: quoniam eius, atque omnis rei professio periculosa est, & admitti aduersùs quemlibet non debet. 15. q. 3. Nemini.

*Incerta* nemo vnquam Pontificum iudicare præsumat; quia quam vis vera sint, non tamen credenda; nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quę manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. In Decretis Sixti PP. II.

*Criminationes* maiorum natu per alios ne fiant, nisi per ipsos, qui crimina intendunt; si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis publicis docuerint, omni se carere suspicione atque inimicitia, & irreprehensibilem fidem atque conuer- 2 q. 7. Crimina.

ſationem ducere.

*Et Prouincialis* Synodus retractetur per Vicarios vrbis Romæ Epiſcopi, ſi ipſe decreuerit.

Et in Concil. Carthagin. 3. cap. 10.

*Placuit*, vt à quibuſcumque iudicibus Eccleſiaſticis, ad alios iudices Eccleſiaſticos (vbi eſt autoritas maior) fuerit prouocatum, audientia non negetur.

*Si quis* Metropolitanus Epiſcopus (niſi quod ad ſuam ſolummodò propriam pertinet parochiam) ſinè conſilio & voluntate omnium Comprouincialiũ Epiſcoporum, aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiaceat, & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum. Sed quidquid de Comprouincialium Epiſcoporum cauſſis, ſuarúmque Eccleſiarum & clericorum, atque ſecularium neceſſitatibus agere, aut diſponere neceſſe fuerit, hoc cum omni cõſenſu Comprouincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis faſtu, ſed humilima & concordi adminiſtratione, ſicut Dominus ait. *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et alibi. *Qui maior eſt veſtrûm, erit miniſter veſter*, & reliqua. Similiter ipſi Comprouinciales Epiſcopi, cum eius conſilio (niſi quantùm ad proprias pertinet parochias) agant, iuxta Sanctorũ Conſtituta Patrum, vt vno ore, vno animo concorditer ſancta glorificetur Trinitas in ſecula.

*Matth. 20. Marc. 10.*

3. qu. 9. Caueant.

*Caueant* iudices Eccleſiæ, ne abſente eo, cuius cauſſa ventilatur, ſententiam proferant, quia irrita erit; quippe & rationem pro actione reddent in Synodo, &, vt proditoris calumnia, nec eorum poſteà vox audiatur. Nemo enim debitorem ampliùs poteſt cognoſcere, quàm ille, qui iniuriam, eiúſ-

que sustinet nequitiam.

*Si quis* super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit, in prouincia in qua ille consistit qui pulsatur, suas exerceat actiones. Nec æstimet eum accusator suus alibi, aut longiùs pertrahendum ad iudicium; illi verò, qui pulsatus fuerit si iudices suspectos habuerit, liceat appellare. 3. q. 6. Si quis.

*Primates* accusatum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant damnationis, quàm Apostolica freti autoritate, aut reum seipse confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur.

*Irritam* esse iniustam Episcoporum damnationem censemus, & idcirco à Synodo retractandam, ità vt oppressis, ab omnibus in cũctis subueniatur caussis. 3. q. 6. irritam.

*Detractores*, qui diuina autoritate, eradicandi sunt, & fautores inimicorum, ab Episcopali submouemus accusatione. Similiter, ne summorum quispiam, minorum accusationibus impetatur aut dispereat. Neque in re dubia detur sentẽtia, nec vllum iudicium, nisi ordinabiliter habitum, teneatur. 3. q. 4. Detractor.

*Plura de his* hîc non inserimus, ne vacuare, vilémve prædictam facere Synodum videremur, aut fastidium legẽtibus audientibúsque prolixa facere epistola. Si quis autem de his ampliora atque abundãtiora scire voluerit, in sacro nostræ Ecclesiæ Sedis scrinio, & ea, quæ prædiximus, inuenire poterit; verum me dixisse testis est diuinitas.

## *EX HISTORIA TRIPARTITA, libro V. capite 29.*

Romani Pontificatus autoritas.

NEque enim prçiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cuius ante omnia decebat eos exspectare decretum, neque Vincentium, qui tantis annis Episcopatum inuiolabiliter custodiuit, neque alios talibus præbuisse consensum; maximè cùm (sicut prædiximus) isti ipsi, qui per conuentionem declinâsse videbãtur, ipsi denuò vtentes meliori consilio, hæc sibi displicere testati sint.

### *Ex eadem, Libro IX. cap. 2. Socrates.*

Anno 381. Gratianus reuocat Episcopos orthodoxos de exilio. Damasus Põtifex Romanus.

POrro Gratianus Valentiniani filius, cùm pridẽ, patre defuncto Europæ sceptra tenuisset, defuncto Valente sinè sobole, Asiæ quoque Lybięque regna suscepit. Móxque pietatem, quam mente perceperat, operibus demonstrabat, initiáque sui regni rerum omnium Domino dedicauit. Scripsit itaque legem, præcipiens vt expulsi pastores ad sua ouilia redirent, sacræque Basilicæ eis redderentur, qui cõmunionem Damasi sequerentur. Is enim Damasus Romanæ Vrbis Episcopus laude dignus, vir mirabilis, semper ordinatus, dicere, faceréque pro Apostolicis dogmatibus cuncta festinus post Liberium gubernacula susceperat Ecclesiæ.

## *Ex eadem, libro X. capite 18. Sozomenus.*

INter hæc Innocentius Romanus Antistes audiēs de Ioanne, & molestè ferens, voléns que generale celebrari Concilium, scripsit Ioanni & Clero Constantinopoleos quòd non oporteret Ioāni successorem dari, nec eius clerum alij parere Pontifici, quas prolixitatis caussa non transtuli. Innocen. Rom. Pontifex pro Chrysostomo.

## *EX HISTORIA ECCLESIASTICA Nicephori, Capite II.*

POrro Grillus Alexandrinus Episcopus, compertis Nestorij blasphemiis, scribit ei, rogans & monens vt discederet à peruersis dogmatibus suis, fidémque rectam susciperet; At verò Nestorius econtra misit iniurias, & blasphemias: Tum Grillus scribit Celestino PP. Romano quæ Nestorius prædicaret, & blasphemias, quæ sibi scriptæ fuerant à Nestorio ei manifestas exhibuit Tunc Celestinus scribit Nestorio definiens ei dierum decem inducias cessandi à blasphemia; & pœnitendi: quòd si perdurâsset in praua opinione Sacerdotij communicator vlteriùs esse desisteret.

# EX EPISTOLA D. HIERONYMI ad Damasum Papam.

Exponit in ea quomodo de fide sentiat, & tandem subiungit hæc verba, hæc fides, &c.

HÆc fides est, Beatissime pater, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quāque semper tenuimus; in qua si minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te; qui Petri fidem & Sedem tenes; sin autem nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit,

## Ex eodem, ad eumdem, Epistola IV.

QVoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & de super textam minutatim perfrusta discerpit, & Christi vineam extermināt vulpes: & inter lacus cōtritos, qui aquam non habent, difficilè vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Cant. 2. Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Inde nunc animæ meæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque enim tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à preciosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere.

*Vbicumque fuerit corpus illic congregabuntur & aquilæ.* Profli- *Matth. 24.*
gato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hęreditas; ibi cespite terra fecundo Dominici seminis pietate cæntenos fructus refert; Hic obruta sulcis frumenta in lolium, *Luca 17.* auenásque degenerant. Nunc in Occidente sol iustitiæ oritur; in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat supra sidera posuit thronum suum: *Vos estis lux mundi*, vos sal terræ; vos aurea vasa & argentea; *Matt. 5.* Hæc testacea vasa, vel lignea, virgam ferream & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ouis flagito: facessat inuidia Romani culminis, recedat ambitio cum successore piscatoris, &c.

## *EX HISTORIA ECCLESIAstica sancti Victoris Episcopi Vticensis, Lib. II.*

DIxi enim, si nostram fidem, quæ vna & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos; scribam & ego fratribus meis vt veniant Coëpiscopi mei, qui vobis nobiscũ communem fidem nostram valeant demonstrare: & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum.

*Ecclesia Romana caput est omnium Ecclesiarum.*

Narrat

NArrat hic quòd Henricus Rex VVandalorum & Alanorum fautor Arrianæ perfidiæ, volebat vt in Africa sub dominio suo celebraretur Concilium inter Episcopos Dominij sui tantùm, aliis Episcopis cæterarum Prouinciarum omissis: cui Beatus Eugenius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis Catholicus hæc respondit.

## *EPISTOLA PETRI RAVENnatis Episcopi, ad Eutychem Abbatem, in Concilio Chalcedonens.* Tom. Conc. I.

IN omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo PP. Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede & viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem: nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ Ciuitatis Episcopi caussas audire non possumus.

## *EX EPISTOLA FLAVIANI Patriarchæ Constantinopolitani, ad D. Leonem PP. de Eutyche hæretico, in eodem Concilio.*

SEd his ita gestis, litteræ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilẽ Comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches libellos vobis direxit plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens, iudicij tempore li-

bellos se dedisse appellationis, & nobis, & hîc cōuenienti sancto Concilio, & appellâsse vestram Sāctitatem, quod nequaquā ab eodem factum est. Sed etiam & in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos, & sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundū quod Sacerdotio competit: propriámque faciens communem caussam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam simul decernere damnationem aduersus eum, regulariter factam; & per propria scripta dignare: confortare autem & piissimi & Christo dedītissimi nostri Imperatoris fidem. Caussa enim eget solummodò vestro solatio atque defensione: quā debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ quæ propter eum factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas litteras.

## *Ex eodem Concilio, Epistola Valentiniani ad Theodosium Imperatorem.*

CVm aduenissem in Vrbem Romam ad diuinitatem placandam, sequenti die ad Basilicam B. Petri Apostoli processi, & illic post venerabilem noctem diei Apostoli, & à Romano Episcopo, & ab aliis, cum eo ex diuersis prouinciis congregatis, ro-

gatus sum scribere vestrę mansuetudini de fide, quę, cùm sit conseruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata; quam nos à nostris Maioribus traditam, debemus cum omni competenti deuotione defendere; & dignitatem propriæ venerationis Beato Petro Apostolo intemeratam, & in nostris tēporibus conseruare: quatenùs beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij, super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare: Domine sanctissime Pater, & venerabilis Imperator. Hac enim gratia, secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit propter contentionem, quæ orta est de fide.

Fides conseruatrix omnium fidelium animarū.

*Ex eadem Epistola Valentiniani & Marciani, ad D. Leonem PP.* Conc. To. I.

VIctores Valentinianus, & Marcianus, gloriosi Triumphatores semper Augusti, Leoni Reuerendissimo Archiepiscopo gloriósæ ciuitatis Romę. Ad maximum Imperium venimus Dei prouidentia, & electione senatus excellentissimi: cunctæque militiæ: vnde pro Reuerenda & Catholica Religione Christianæ fidei, cuius auxiliis virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentē sacris litteris in principio iustum credimus colloquendam, inuitantes, atque rogantes vt pro firmitate & statu nostri Imperij æternam diuinitatem tua

sanctitas deprecetur; & tale propositum atque desiderium habeamus, quatenùs omni impio errore sublato per celebrandam Synodum, te autore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat ab omni scelere pura & intemerata consistens.

## EX OCTAVA SYNODO GEnerali, Distin. XXII.

DEfinimus neminem prorsus mundi potentum quemquam eorum, qui Patriarchalibus præsunt sedibus, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare; præcipuè quidem sanctissimum PP. Senioris Romæ: deinceps Constantinopoleos Patriarcham; deinde verò Alexandriæ ac Antiochiæ, ac Hierosolymitanorum.

## EX D. GREGORIO PP. I. IN Decreto Distin. XII.

PRæceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia, & Apostolica autoritate iussa sunt, salutiferè impleantur: si eiusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput nostrum communionē habere desideratis. Non nouum aliquid præsenti

iussione præcipimus; sed illa, quæ olim videntur indulta firmamus: cùm nulli dubium sit, quòd non solùm Pontificalis accusatio, sed omnis sanctæ Romanæ Ecclesię, & Religionis relatio, ad Sedem Apostolicam, quasi ad caput omnium Ecclesiarum debeat referri; & inde normam assumere, vnde sumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omittere, cuius autoritatis sanctionem teneant omnes Sacerdotes, qui noluerint ab Apostolicæ petrę, super quā Christus vniuersalem fundauit Ecclesiam, soliditate diuelli: si quis hæc Apostolicæ Sedis præcepta non obseruauerit, pręcepti honoris esse hostis non dubitetur.

IDem GREGORIVS in Registro, lib. 4. Epistola 32. ad Mauricium Augustum, sic ait. Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica, sancto & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oues meas. Ipsi dicitur. Ecce Satanas expetiit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui vt non deficiat fides tua, & tu conuersus, &c. Ipsi dicit, Tu es Petrus, &c. vsque, Solutum in cœlis. Ecce claues regni cœlestis accepit, potestas ligandi & soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur.

## *EX EPISTOLIS D. BERNARdi ad Innocentium PP. Epistola CXC.*

AMantissimo Patri, & Domino Innocentio Summo Pontifici, frater Bernardus Clareuallis vocatus Abbas. Modicum id quod est oportet ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum nam-

que arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prerogatiua Sedis: cui enim aliquando alteri dictum est. *Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua?* (Luc. 22.) Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Id quidem modò necessarium tempus est, vt vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè impletis Petri vicem, cuius tenetis & Sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis; si vestra autoritate conteritis fidei corruptores.

## *Ex eodem D. Bernardo, de Consideratione, Libro II.*

Age indagemus adhuc diligentiùs qui sis, quam geras videlicet pro tempore personã in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus: Summus Pontifex. (Laudes Sũmi Pontificis.) Tu princeps Episcoporum: Tu heres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham; Ordine Melchisedech: Dignitate Aaron: Autoritate Moyses: Iudicatu Samuël; Potestate Petrus: Vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores; & gregum pastores; sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius vtrinque pre ceteris nomen hæreditâsti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, sed & pastorum: Tu vnus omniũ pastor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini

cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? *Si me amas Petre, pasce oues meas.* Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? *Oues meas* inquit, cui non planum non designâsse aliquas, sed assignâsse omnes. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil; & fortè præsentes cęteri Cōdiscipuli erāt, cùm cōmittens vni oues vnitatem omnibus commēdaret in vno grege, & in vno pastore, secundùm illud, *Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate. Inde est quòd alij, singuli, singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma: Petro vniuersitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille: Nam dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo, iuxta Canones tuos, alij in partem solicitudinis, tu in pulchritudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si caussa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Accipe aliud quod nihilominus prærogatiuam cōfirmat tibi; Discipuli

*Ioan. 21.* *Cantic. 6.* *Galat. 1.* *Ioan. 21.*

## *Ex eadem, libro X. capite 18. Sozomenus.*

INter hæc Innocentius Romanus Antistes audiēs de Ioanne, & molestè ferens, voléńsque generale celebrari Concilium, scripsit Ioanni & Clero Constantinopoleos quòd non oporteret Ioãni successorem dari, nec eius clerum alij parere Pontifici, quas prolixitatis caussa non transtuli. Innocen. Rom. Pontifex pro Chrysostomo.

## *EX HISTORIA ECCLESIASTICA Nicephori, Capite II.*

POrro Grillus Alexandrinus Episcopus, compertis Nestorij blasphemiis, scribit ei, rogans & monens vt discederet à peruersis dogmatibus suis, fidémque rectam susciperet; At verò Nestorius econtra misit iniurias, & blasphemias: Tum Grillus scribit Celestino PP. Romano quæ Nestorius prædicaret, & blasphemias, quæ sibi scriptæ fuerant à Nestorio ei manifestas exhibuit Tunc Celestinus scribit Nestorio definiens ei dierum decem inducias cessandi à blasphemia; & pœnitendi: quòd si perdurâsset in praua opinione Sacerdotij communicator vlteriùs esse desisteret.

## *EX EPISTOLA D. HIERONYMI ad Damasum Papam.*

Exponit in ea quomodo de fide sentiat, & tandem subiungit hæc verba, hæc fides, &c.

HÆc fides est, Beatissime pater, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quāque semper tenuimus; in qua si minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te; qui Petri fidem & Sedem tenes; sin autem nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.

### *Ex eodem, ad eumdem, Epistola IV.*

QVoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & de super textam minutatim perfrusta discerpit, & Christi vineam exterminãt vulpes: & inter lacus cōtritos, qui aquam non habent, difficilè vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Inde nunc animæ meæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque enim tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à preciosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere.

*Cant.* 2.

*Vbicumque fuerit corpus illic congregabuntur & aquilæ*. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hęreditas; ibi cespite terra fecundo Dominici seminis pietate cæntenos fructus refert; Hic obruta sulcis frumenta in lolium, auenásque degenerant. Nunc in Occidente sol iustitiæ oritur; in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat supra sidera posuit thronum suum: *Vos estis lux mundi*, vos sal terræ; vos aurea vasa & argentea; Hæc testacea vasa, vel lignea, virgam ferream & æternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ouis flagito: facessat inuidia Romani culminis, recedat ambitio cum successore piscatoris, &c.

*Matth.24.*

*Luca 17.*

*Matt. 5.*

## *EX HISTORIA ECCLESIAstica sancti Victoris Episcopi Vticensis, Lib. II.*

DIxi enim, si nostram fidem, quæ vna & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos; scribam & ego fratribus meis vt veniant Coepiscopi mei, qui vobis nobiscū communem fidem nostram valeant demonstrare: & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum.

Ecclesia Romana caput est omnium Ecclesiarum.

Narrat

NArrat hic quòd Henricus Rex VVandalorum & Alanorum fautor Arrianæ perfidiæ, volebat vt in Africa sub dominio suo celebraretur Concilium inter Episcopos Dominij sui tantùm, aliis Episcopis cæterarum Prouinciarum omissis: cui Beatus Eugenius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis Catholicus hæc respondit.

## *EPISTOLA PETRI RAVENnatis Episcopi, ad Eutychem Abbatem, in Concilio Chalcedonens.* Tom. Conc. I.

IN omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo PP. Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: Quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede & viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem: nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ Ciuitatis Episcopi caussas audire non possumus.

## *EX EPISTOLA FLAVIANI Patriarchæ Constantinopolitani, ad D. Leonem PP. de Eutyche hæretico, in eodem Concilio.*

SEd his ita gestis, litteræ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilē Comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches libellos vobis direxit plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens, iudicij tempore li-

bellos se dedisse appellationis, & nobis, & hîc cō-uenienti sancto Concilio, & appellâsse vestram Sā-ctitatem, quod nequaquā ab eodem factum est. Sed etiam & in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos, & sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundū quod Sacerdotio competit: propriámque faciens communem caussam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam simul decernere damnationem aduersus eum, regulariter factam; & per propria scripta dignare: confortare autem & piissimi & Christo deditissimi nostri Imperatoris fidem. Caussa enim eget solummodò vestro solatio atque defensione: qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ quæ propter eum factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas litteras.

### *Ex eodem Concilio, Epistola Valentiniani ad Theodosium Imperatorem.*

CVm aduenissem in Vrbem Romam ad diuinitatem placandam, sequenti die ad Basilicam B. Petri Apostoli processi, & illic post venerabilem noctem diei Apostoli, & à Romano Episcopo, & ab aliis, cum eo ex diuersis prouinciis congregatis, ro-

gatus sum scribere vestrę mansuetudini de fide, quę, cùm sit conseruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata; quam nos à nostris Maioribus traditam, debemus cum omni competenti deuotione defendere; & dignitatem propriæ venerationis Beato Petro Apostolo intemeratam, & in nostris tēporibus conseruare: quatenùs beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij, super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare: Domine sanctissime Pater, & venerabilis Imperator. Hac enim gratia, secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit propter contentionem, quæ orta est de fide.

Fides conseruatrix omnium fidelium animarū.

*Ex eadem Epistola Valentiniani & Marciani, ad D. Leonem PP.* Conc. To. I.

VIctores Valentinianus, & Marcianus, gloriosi Triumphatores semper Augusti, Leoni Reuerendissimo Archiepiscopo gloriósæ ciuitatis Romę. Ad maximum Imperium venimus Dei prouidentia, & electione senatus excellentissimi: cunctæque militiæ: vnde pro Reuerenda & Catholica Religione Christianæ fidei, cuius auxiliis virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentē sacris litteris in principio iustum credimus colloquendam, inuitantes, atque rogantes vt pro firmitate & statu nostri Imperij æternam diuinitatem tua

ſanctitas deprecetur; & tale propoſitum atque deſiderium habeamus, quatenùs omni impio errore ſublato per celebrandam Synodum, te autore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat ab omni ſcelere pura & intemerata conſiſtens.

## *EX OCTAVA SYNODO GEnerali, Diſtin.* XXII.

DEfinimus neminem prorſus mundi potentum quemquam eorum, qui Patriarchalibus præſunt ſedibus, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare; præcipuè quidem ſanctiſſimum PP. Senioris Romæ: deinceps Conſtantinopoleos Patriarcham; deinde verò Alexandriæ ac Antiochiæ, ac Hieroſolymitanorum.

## *EX D. GREGORIO PP. I. IN Decreto Diſtin.* XII.

PRæceptis Apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ à ſancta Romana Eccleſia, & Apoſtolica autoritate iuſſa ſunt, ſalutiferè impleantur: ſi eiuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt caput noſtrum communionē habere deſideratis. Non nouum aliquid præſenti

iussione præcipimus; sed illa, quæ olim videntur indulta firmamus: cùm nulli dubium sit, quòd non solùm Pontificalis accusatio, sed omnis sanctæ Romanæ Ecclesię, & Religionis relatio, ad Sedem Apostolicam, quasi ad caput omnium Ecclesiarum debeat referri; & inde normam assumere, vnde sumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omittere, cuius autoritatis sanctionem teneant omnes Sacerdotes, qui noluerint ab Apostolicæ petrę, super quā Christus vniuersalem fundauit Ecclesiam, soliditate diuelli: si quis hæc Apostolicæ Sedis præcepta non obseruauerit, pręcepti honoris esse hostis non dubitetur.

IDem GREGORIVS in Registro, lib. 4. Epistola 32. ad Mauricium Augustum, sic ait. Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica, sancto & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oues meas. Ipsi dicitur. Ecce Satanas expetiit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui vt non deficiat fides tua, & tu conuersus, &c. Ipsi dicit, Tu es Petrus, &c. vsque, Solutum in cœlis. Ecce claues regni cœlestis accepit, potestas ligandi & soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur.

## *EX EPISTOLIS D. BERNARDI ad Innocentium PP. Epistola CXC.*

AMantissimo Patri, & Domino Innocentio Summo Pontifici, frater Bernardus Clareuallis vocatus Abbas. Modicum id quod est oportet ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum nam-

cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? *Si me amas Petre, pasce oues meas.* Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? *Oues meas* inquit, cui non planum non designâsse aliquas, sed assignâsse omnes. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil; & fortè præsentes cæteri Côdiscipuli erāt, cùm cōmittens vni oues vnitatem omnibus commēdaret in vno grege, & in vno pastore, secundùm illud, *Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate. Inde est quòd alij, singuli, singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma: Petro vniuersitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille: Nam dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo, iuxta Canones tuos, alij in partem solicitudinis, tu in pulchritudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si caussa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo in concussum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Accipe aliud quod nihilominus prærogatiuam cōfirmat tibi; Discipuli

*Ioan. 21.* *Cantic. 6.* *Galat. 1.* *Ioan. 21.*

nauigabant & Dominus apparebat in litore, quódque iucundius erat, in corpore rediuiuo. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit: & sic venit ad ipsum, aliis nauigio peruenientibus: quid istud? nempe signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed seculum ipsum susceperit gubernandum: mare enim seculum est: naues Ecclesię. Inde est quòd altera vice instar Domini gradiens super aquas, vnicũ se Christi vicarium designauit: qui non vni populo sed cunctis
Apoc. 17. præesse deberet. Siquidẽ *Aquæ multæ, populi multi.* Ita cùm quisque cęterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima nauis, facta ex omnibus, ipsa Vniuersalis Ecclesia toto orbe disusa..

## *Ex eadem Epistola, ad Papam Eugenium.*

Legi apud quemdam sapientem: non est vir fortis, cui nõ crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico; fideli homini, magis & inter flagella fidendum.
Ps. 68. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam Christi:* Tacta est pupilla oculi eius, exerendus & nunc vterque gladius in passione Domini, Christo denuò patiente vbi & altera vice passus est. Per quẽ autẽ, nisi per vos? Petri vterque est: alter suo nutu, alter sua manu quotiens necesse est euaginandus: Et quidem de quo minùs videbatur, de ipso ad Petrum
Ioan. 18. dictum est; *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Ergo suus erat & ille? sed non sua manu vtique educendus. Tempus, & opus esse existimo ambos educi in defensionem Orientalis Ecclesiæ, cuius locum tenetis;

netis, zelum negligere non debetis Quale est hoc principatum tenere, & ministerium declinare? Vox clamantis; veni Hierosolymam iterum crucifigi. Ad quam vocem etsi alij tepidi, alij & surdi sint, successori Petri dissimulare non licet: loquetur & ipse; *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Nec terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis resarciẽdis operam dabit. Numquid ideò non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult? Ego verò pro tantis malis, tamquam Christianus & fidelis meliora sperabo: *Et omne gaudium existimabo, quòd in varias tentationes incidimus.* Reuera panem doloris comedimus: *Et potati sumus vino compunctionis.* Quid diffidis amice sponsi, quasi non more suo vinum bonum seruauerit vsque adhuc benignus & sapiens sponsus? *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* Et certè sic operari, sic iudicare superna diuinitas solet, scienti loquor. Quãdo autem magna bona mortalibus prouenerũt, quæ non magna præuenerint mala? Nam, vt cætera taceam, nónne illud vnicum & singulare beneficium nostrę salutis, pręcessit mors Saluatoris. Tu ergo amice sponsi, amicum te in necessitate probato: si triplici illo amore, de quo tuus interrogatus est pręcessor, tu quoque toto corde, tota anima, tota virtute Christum diligis, vt oportet, nihil reseruabis, nihil dissimulabis in tanto periculo sponsę eius; sed quidquid habes viriũ, quidquid zeli, quidquid solicitudinis, quidquid autoritatis, quidquid potestatis, impendes. Singulare periculum, singularem

*Matt. 26.*
*Iacob. 1.*
*Psal. 59.*
*Ioan. 2.*
*Ioel. 2.*

exigit operam. Fundamentum concutitur, & tamquam imminenti ruinæ, totis est nisibus occurrendum. Et hæc propter vos fidenter quidem, sed fideliter dicta.

QVærit D. Ambros. in c. 22. Lucæ, cur Petrus percussit aurem serui principis & inter alia sic dicit; Sed quare Petrus? quia ipse ligandi & soluēdi adeptus est potestatem, & ideò tollit gladio spiritali aurem interiorem malè intelligentis: non quòd Petrus sensum intelligendi audientibus tollat (ait vener. Beda) sed diuino ablatum iudicio negligentibus pandat.

## *Ex eodem D. Bernardo, libro IV. de Consideratione ad PP. Eugenium.*

DE cetero, oportet te esse, considera formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem Gentium, Christianorum ducē, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorē plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem Viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum Tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, Sal terræ, orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis. *Intellige quæ dico, dabit tibi Dominus in omnibus intellectum.* Vbi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. *Vultus tuus super facientes mala.* Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat,

Matth. 5.

2. Tim. 2.

Ps. 33.

timeat orationem, qui admonitionem contempsit: cui irasceris tu Deum sibi iratum non hominem putet: qui te non audierit, auditurum Deum, & contra se paueat. Quod reliquum est de his quæ supra te sunt, incumbit iam disputatio, quam vno libro Deo adiuuante soluere spero & me pariter absoluere promissione mea.

IDem D. BERNARDVS non solùm pluries Romanũ Pontificẽ Iesu Christi Vicarium, & totius Ecclesiæ caput appellat, sed in Epistola 1. ad Eugenium PP. 237. in ordine Epistolarum, inquit; Locus in quo stas, terra sancta est, locus Petri est locus principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius, locus illius est, quem constituit Dominus Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ: merito tali pastori, vel nutritori commissa est Ecclesia, cùm adhuc tenera, adhuc in cunabulis esset. Vide eumdem Bernardum Epistola 131. & 242.

Postquam D. Thomas probauit multipliciter in 4. contra gent. c. 76. vnũ Episcopũ Prælatũ à Christo toti Ecclesiæ dedisse, subdit; Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia & subiectione Petri, successorem eius Romanum Pontif. vniuersalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes.

# AVTOR.

*IAm euidenter equidem ex his quæ attulimus, (relicta turba Canonum & Doctorum, quam dinumerare nemo posset) clarum est, Romanum Pontificem Petri successorem, à Christo in Petro institutum esse totius Ecclesiæ Pastorem, vt locus dubitationi nullus relictus sit. Si quis autem post hæc hæsitans inuenitur, aut rudis, & ineptus, aut cum hæreticis, seu schismaticis sapit, aut Christianus non est: ineruditus is sanè multùm, & indocilis est, quisquis certitudinem mathematicam in omnibus quærit, vt Philosophi tradunt. Hæreticorum, atque Schismaticorum proprium est sacra vti Scriptura, secundùm sensum tamen quo ipsi faciunt ipsam sonare. Christianorum autem, qui verè Ca-*

*tholici sunt, sapientésque, sacram Scripturam intelligunt secũdùm sensum, quem sancti Doctores, quem sacra Concilia, Apostolica autoritate roborata interpretantur. Hũc faciendi Christianam veritatem modũ quisquis repellit, Christianus non est, ab hac via qui recedit, infidelis inuenitur. Nam licentia exorbitandi ab hac via si admittitur, omnia mysteria fidei, cum Arrio & aliis hæreticis, in dubium reuocare fas erit. Hæc enim omnia, nulla alia via, aut autoritate sunt Christianis reddita certa, & indubia fide tenenda, nisi interpretatione sacræ Scripturæ, iuxta sanctorum documenta, & sacrorum Conciliorum autoritate Apostolica firmatorum definitionem. Quocirca cum textus Euangelici ad propositum adsint, & Sanctorum doctrina conformis in proposito pateat, nullo penitus Sanctorum reluctante, sacrorúmque Conciliorum cum Apostolica autoritate inueniatur definitio, omnísque Christianorum ætas etiam ab ipso Petri tempore in sancta Ecclesia Catholica hoc confessa inueniatur, reliquorúmque Doctorum testimonia innumera sint, certum ità redditur Romanum Pontificem Petri successorem in Petro à Christo institutum totius Ecclesiæ pastorem, vt certior fides haberi non posit.*

IN Concilio vniuersali Florentiæ sub Eugenio 4. vbi Græcorum, Armenorũ, & Iacobitarum, cum Romana Ecclesia facta legitur vnio, hæc habentur verba. Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Roman. Pontif. in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Roman. Pontificem, successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo planam potestatem traditã esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Et aduertendum, quòd non solùm in hoc Concilio est definita hæc veritas, sed etiam in aliis multis, tamen hoc vnum sufficit ad firmandam pro omnibus fidem huius veritatis.

## IDEM AVTOR AD Librum.

*I Liber, & tutus latum volitato per orbem,*
*Nullus qui noceat liuidus hostis erit.*
*I Liber & doctis lectoribus vtilis exi:*
*Te verè humano mittimus ex animo.*
*Nil cupias laudis: sit honor sit gloria Christo:*
*Ingenio vires nam dedit ille meo.*

---

## *EIVSDEM DISTICHON.*

SVmma Deo sit laus, cuius pietate iuuamur
Et cuius calamo præfuit aura meo.

*Sub Sedis Apostolicæ, ac omnium bonorum correctione.*

# CATHOLICA PROTESTATIO.

QVidquid in hoc Fasciculo aureo, & in aliis 3. Libris à me iā Typismandatis, dixi siue gratia colligendi, applicādi, declarandi Doctorum sacrorum sententias, correctioni, & emendationi sanctæ matris Ecclesiæ (quæ Spiritus sancti lumine & doctrina, verè illuminata est) nimis libenter & expressè & me subiicio. Si verò (quod absit, & Deus propter suam infinitámque bonitatē auertat) aliquid ex linguæ lapsu, aut ex ignorantia, aliáve quacumque occasione à Catholica veritate, & eiusdē Sacrosanctæ matris Ecclesiæ determinatione quocumque modo deuiauerit, aut pias aures offendere visum fuerit; id totum sponte reuoco, & pro non dicto haberi volo; eorum me meaque iudicio & directioni humiliter submittens, quibus errantes corrigere, & ad Catholicæ veritatis viam reducere ab eadem Ecclesia sancta datum est. Nec intendo præiudicare veritati, aut doctrinæ, vel autoritati quorumcumque melius sentientium; sed omnia, salua pace fidei, & veritate, dicta & dicenda esse cupio. Et ad laudem Domini nostri Iesu Christi.

LAVS DEO OPTIMO MAXIMOQVE.

# *SYLLABVS AVCTORVM*

*E quibus deprompta sunt quæcumque docentur in hoc aureo Opere de Primatu D. Petri.*

DIuus Ambrosius
Ambrosius Cōpsæ Episcopus
Anacletus Papa
Anastasius Bibliothecarius
Anselmus
Antoninus
Arias Monranus
D. Augustinus
Basilius
V. Beda Presbyter
Bernardus
Biblia sacra
Caietanus
Cassiodorus
Chaldaica Paraphrasis
D. Chrysostomus
Ciaconius
D. Clemens PP. & Martyr
Cyprianus
Cyrillus Alexandrinus
Concilia Generalia
Corpus Canonicum
Damascenus
Damasus Papa
Dionysius Areopagita
Dionysius Episcopus Corint.
Dionysius Cartusianus
Eusebius Cæsariensis.
Eusebius Emissenus
Eusebius Mediolanensis
Felix Papa
A. Fonseca
Glossa ordinaria
Glossa interlinealis
Gratianus
Gregorius Magnus
Gregorius Nyssenus
Haymo Episcopus
D. Hieronymus
Hilarius
Hippolytus Martyr
Historia Ecclesiast. Eusebij
Historia Tripartita
Historia Scholastica
Hugo Cardinalis
Ignatius Martyr
Ildefonsus
Incognitus
Innocentius P P.

## *Syllabus Auctorum.*



*Finis indicis Auctorum.*

# INDEX EORVM QVÆ EX SACRA Scriptura, sacrosanctis Conciliis, ac fidei orthodoxæ sanctis Doctoribus excerpta sunt, & in hoc Fasciculo aureo adnotata, circa D. Petri Apostolorum Principis, ac Pontificum Romanorum, eius successorum, Primatum.

## EX SACRA SCRIPTVRA.



### EX LIBRIS CONCILIORVM.

INDITIA PRIMATVS D. PETRI.

Excerpta ex eisdem Conciliorum libris.

EX DOCTORIBVS ORTHODOXIS.



ITEM IN APPENDICE AD LIBRVM III.

# INDEX LOCORVM VTRIVSQVE Testamenti veteris & noui, quæ hoc opere vel elucidantur, vel proferuntur ad confirmandum D. Petri Primatum.

## EX VETERI TESTAMENTO.

Finis Indicis locorum sacræ Scripturæ.

# INDEX LOCVPLETISSIMVS
## Rerum, & Verborum memorabilium, quæ hoc Fasciculo aureo continentur ordine Alphebetico digestus.

A

B



C

FINIS.

## *Errata fic corrige.*

Pagina 9. linea 9. illos, lege, vllos. Pag. 162. humanitatis, lege, vnitatis. pag. 188. linea 17. deeft eius, lege, oues eius &c. in eadem pag. lin. 13. pafcent, lege, pafcunt.

## *Extraict abregé du Priuilege du Roy.*

PAr grace & Priuilege du Roy du 24. Octobre 1616. il eft permis & octroyé a R. Colomiez, noftre Imprimeur, d'imprimer, vendre & diftribuer vn liure intitulé *De Primatu D. Petri, &c. Autore F. Thoma Ramon, Ord. Prædic. Doct. Theolog.* Et ce durant le temps & terme de fix ans, à compter du iour que la premiere impreffion fera acheuée. Auec deffenfes à tous Imprimeurs, & Libraires de faire ny alterer ledit liure, fur peine de mil liures, & confifcation des exemplaires : ainfi qu'il eft plusamplemẽt porté par ledit Priuilege. Acheué d'imp. le 14. Decẽb. 1616.